



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Morientibvs Liber Vndecimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*intrauit, cap.*

*De monacho, qui in Alna cadens, expirauit dum legeretur  
Euangelium; Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus  
uester venturus sit, cap.*

64.

65.

## DE MORIENTIBVS LIBRI VNDECIMI

### CAPVT PRIMVM.

#### CÆSARIVS:

*De mor-  
te in ge-  
nerc.*



*Mortis  
& morie  
ntium ge-  
nera.*

Vndecima hora diei solem trahit ad occasum: hæc est aras decrepita, quæ morti vicina est. Non sine mysterio in distinctione vndecima de morientibus tractandum suspicor, quia vndenarius, eo quod denarium, in quo præcepta legis diuinæ cōsistunt, primus transcendat, transgressionem designat: per transgressionem enim protoplastorum mors introiuit in orbem terrarum. Vnde mors à morſu nomen suū accepit: mox vt homo pomum vetitæ arboris momordit, mortem incurrit, & tam se, quam totam suam posteritatē, necessitati illius subiecit. Dicitur etiā mors ab amaritudine, quia, vt dicitur, nulla pœna in hac vita amarior est separatione corporis & animæ. Sunt autē tria genera mortis, vt dicit Isidorus, acerba, immatura, naturalis; acerba infantum, immatura iuuenum; matura, id est naturalis, senum. Et quia de morientibus loqui proponimus, noueris quatuor esse genera hominum morientium. Quidam bene viuunt, & bene moriuntur, alij & malè viuunt, & malè moriuntur: alij malè quidē vixerunt, sed Dei gratia bene moriuntur; & sunt, qui quidē bene vixerunt, sed iusto Dei iudicio malè moriuntur. Hanc diuersitatem per Ezechielem Dominus expressit satis: De bene autem *Exec. 18.* viuentibus, & bene morientibus, dicit: Vir si fuerit ju-  
stus,



sus, & fecerit iudicium & iustitiam, post enumerationem multorum operum bonorum, ita concludit: Hic iustus est, vita viuet, scilicet aeterna, ait Dominus Deus. De male moriente mox subjungit, dicēs: Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem; enumeratis multis operibus iniustitiæ, in fine sic dicit; Nunquid viuet? non viuet, cum vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, scilicet aeterna, sanguis eius in ipso erit. De eo autem, qui male vixit, & finaliter pœnitet, sic ait: Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiam; vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, nõ recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet. APOLLONIVS: Magna consolatio. CÆSARIVS: Non minùs terribile est quod sequitur: Si autem auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundũ omnes abominaciones suas, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in peccato suo, quod peccauit, morietur. Petrus bene vixit, & bene finiuit: Simon magus è contrario male vixit, & male finiuit: Latro in cruce male quidem vixerat, sed bene consummauit: Nicolaus aduena creditur priùs bene vixisse, sed non bono fine concludit. APOLLONIVS: Quare boni bene & male moriantur, quæstio mihi nulla est: quare autem diu bene viuentes non perseuerent, & diu male viuentes bono fine decedant, nosse vellem. CÆSARIVS: Non sum Chusai consiliarius Dauid: Quis enim nouit sententiam Domini, aut quis consiliarius eius fuit? APOLLONIVS: Quæ est mors bona, & quæ est mors mala? CÆSARIVS: Qui in charitate decedit, per lumen eius videbit lumen æternum. Hinc est quòd foris morientes, lumen ardens tenent in manibus. Qui verò sine charitate moritur, mittetur in tenebras exteriores: vna enim sententia omnis hæc diuersitas concluditur: Qualem, inquit, te inuenero, tale te iudicabo. APOLLONIVS: Satisfactum mihi fateor per sententias, nunc



*Pf. 115.  
Psal. 33.*

precor vt exempla subjungas. CÆSARIVS: Faciam quod hortaris, & hoc secundum ordinem prædictum. Quàm pretiosa sit in conspectu Domini mors Sactorum eius, & mors peccatorum pessima, subjecta declarabunt exempla.

## CAPVT II.

*Mors bona illo-  
rum qui  
bene vi-  
uerunt.*

**E**O tempore, quo beatissimus Dauid monachus Claustrensis ab hac luce migravit, facta est in eadem domo, quæ alio nomine Hemmenrode vocatur, mortalitas magna, Domino eligente sibi eos quos vita comendabat sanctior, ad similitudinem columbæ, quæ melioribus grans pascitur. Erat ibi sacerdos quidam nomine Meinerus, quandoque ecclesiæ sancti Simeonis in Treueri Canonicus, & salutari admonitione sancti Bernardi Abbatis ad ordinem conuersus, amplius quàm 30. annos in ordine fecerat, & per plurimos labores ad sublime sanctitatis culmen peruenerat. Cumque in eadem domo ob suam probitatem ad diuersa electus fuisset officia, Prioratus scilicet, cellerariæ, grangiariæ, magisterij nouitiorum, gradatim tamen omnibus irreprehensibiliter administratis, grauius infirmatus, mortem adesse dolor vehemens indicauit: cuius dolores Abbas considerans, in domum secretiorẽ eum poni fecit, quatuor ad ministerium eius deputatis. Ille verò, licet gauderet de solitudine, tristabatur tamen de exhibito honore, dicens Abbati; Fratres isti vigilando atq; laborando sunt lassii, neque mihi sunt necessarij, grata est mihi solitudo, neque minùs solus ero, cum solus ero: non enim solus est, cui præsul & custos Dominus adest: si careo hominum obsequio, credo quòd non deerit præsidium de cœlo. Abbate recedente & ad sermones eius minùs attendente, ipse fratres abire compulit, lucernamque extinguere. Media nocte, Priore iubente, in eandem domum ad dicendas horas minuti conueniunt, & ignis accensus est, quia hyems erat. Dictis matutinis, visitauit eum Prior, fratribus lectum eius circumstantibus, quibus ait: Tota nocte solemnisabam, si centum linguas haberem, internæ iocunditatis gaudium explicare non pos-



possem: vidi deificum lumen, audiui cœlestem harmoniam, interfui choris psallentiũ in cœlo. Ach quã ordinatè, quam distinctè, quam reuerenter psallebat: voces quidem erant multæ & diuersæ, sed quẽadmodum in cytharia varietas chordarum yniformem reddit concentum, ita concors illa diuersitas in vnã conueniebat melodiam, supra humanum sensum delectabilem: grauibus succinentibus, puellares voces ascescebant, facientes diapason; cuius organi suauitatem humana infirmitas æstimare non potest. Admiranti mihi super his, astitit quidam in habitu venerabili, dicens: Quid miraris? hæc est laus verbi Dei. Et cum hæc dixisset, psallentibus adjunctus est, & tota virtute psallebat. Interea gratum occurrit spectaculum. Videbam scalam speciosam super me directam, iter è terris in cœlum præbentem; vnus ex nostris subito de medio factus hanc egressus superna regna pecebat, lætabundus & laudans, angelorum vallatus copiis, nullumque passus omnino discrimen, cœlo receptus est. Veruntamen frater ille non est mihi designatus ex nomine. Quidam autem calumniabatur fratres nostros, duo obijciēs, scilicet quòd defunctis fratribus debitam pensionem negligenter soluerent, & veteres tunicas, cum nouas reciperent, nõ statim redderent. In altero me reprehensibilem doleo, propter urgentes enim causas, missas nondum persolui quas debeo, sed quam plura psalteria dixi. Deo enim gratias ago, labia mea nunquam otiosa fuerunt à laude Dei. Hæc profecutus est, & consequenter ab hac luce subtractus, fidem fecit dictis. Aiunt de eo, quòd in exterioribus agens, sæpe per diem duo psalteria dicere solitus esset. Perspicuum est, quòd frater ille, qui subito de medio factus, cum honore cœlesti deduci visus est, ipsum Meinerum satis eleganter expressit; euidenti declarans indicio, quòd velocius morte subueniente, sine omni discrimine, transiturus esset de presuris ad gloriã, de morte ad vitã, de mundo ad Christum, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum, Amen.



**A** Egrotabat in eodem cœnobio scilicet Hemmenrode sacerdos, Isenbardus nomine, custos ecclesiæ, plus quàm tricesimum annum agens in ordine, & ad extrema perductus est. Media nocte, cum super eum ministrorum vigilaret diligentia, audiuerunt cum leui susurro verba sonare: timentesque ne morti proximus aliena loqueretur, ori loquentis auri adhibita, intellexerunt verba sublimia, adificationis plena, de gloria cœlestium & inenarrabili lætitia Sanctorum. Dignum ergo iudicantes testem his idoneum adhiberi, nunciauerunt hæc Abbati, qui & ipse graui laborabat infirmitate. Vocatus Abbas adfuit. Interim cecidit horologiū, & occasione sumpta, sic fari cœpit: Ach quam suauem noctem exegi, quam delectabili horologio temperando operam dedi, quã dulces & quàm suauis cōcentus audiui, choris in cœlo psallentium interfui: ach quàm cōcorditer, quã delectabiliter psallebant. In nostro cantu solet esse dissonantia, tædium, lassitudo, ibi longè aliter est: in vnâ omnes conueniunt melodiam, super omne quod delectat, dulciorem. Infatigabiles laudare non cessant, & quanto plus laudant, tanto plus crescit amor laudandi, & mirabili ac inffabili modo hoc prouenit in vsum gratissimæ quietis, quòd nunquam vacant a laude creatoris. Ibi vidi homines nostri ordinis super homines alios eminere, claritate, & dignitate, & gratia præcellere. Qui enim magis hîc humiliati sunt, mediocribus pro Christo contenti, eo gloriosius ibi exultant, abundantiores accipientes consolationem, facie splendidissimi, statura celsi, veste gloriosi; cum his familiariter conuersatus sum, & amico reffectus colloquio. Apparuerunt etiã mihi fratres nostri, dominus Wernerus Prior, & dominus Michaël, & dominus Arnoldus, & dominus Cuno, & dominus David honore celsior, candidissimis induti cucullis, quorum nitor oculis meis tam erat impenetrabilis, quàm radius fulguris coruscantis. Tanta gloria vestium delectatus, sollicitè quæreba, si talē ego habiturus essem: & dixerunt;



rant: Qui viuit irreprensibiliter, talem vestem spe-  
 rare potest: si verò vitium latuerit in conuersatione,  
 macula apparebit in veste: culpa enim vitæ, maculam  
 facit in veste: immaculatâ ergo merebitur habere ve-  
 stem, qui se à maculis seruat immunem. Et dixi: Quæ  
 sunt maculæ? & ille, Murmuratio, detractio, inuidia,  
 negligentia, & quicquid sinceritatem cordis macu-  
 lat & confundit: qui talia agunt, in gloria vestis ma-  
 culam ponunt. Tu verò pro multis laboribus, & vitæ  
 honestate, similè sortieris vestem. His dictis faucibus  
 arefactis, viribusque exhaustis, defecit loquens. Post  
 modicum, instillata refocillatus aqua, resumptoque  
 spiritu, ad loquendum se parans, spem fecit auditori-  
 bus, & ait; Vtinam differret me Dominus, vsque dum  
 cõpleto opere Dei, dominis nostris loqui possem. Ach  
 quam lati nuntij baiulus essem, quàm læta, quàm stu-  
 penda narrarè, quæ vidi, quæ audiui, & sensi, quæ pa-  
 rata sunt diligentibus Deum, & in laude eius vigilan-  
 tibus! Et Abbas: Frater quomodo hæc vidisti? Et ille:  
 Quater hac nocte raptus sum ante Deū, pectus meum  
 apertum est, & anima mea educta est, & statim fui in-  
 ter choros angelorū, & vidi Dominā nostram in im-  
 mensa claritate, cum suis sacris virginibus, quæ se mi-  
 hi promisit in necessitate adfuturam, & sanctum Mi-  
 chaelē cum multo exercitu angelorū præparatum in  
 auxilium mihi. Nā altari, & memoriæ suæ, honorē so-  
 lebam semper impendere, & innumerabilē multitu-  
 dinem Sāctorum, & quos antea non viderā, statim ag-  
 noui. Rursum spiritu & viribus deficiens, loqui cessa-  
 uit. Compulsus itaq; de sorbitiuncula pauxillū acce-  
 pit, & gustās ait: O quā dulcis est Dominus gustātibus  
 se! O quāta est suauitatis eius abundantia, quā larga,  
 quā indeficiēs, & omniū deliciarū copiis affluēs, qua  
 me in hac nocte reficere dignatus est! O dulcedo illa,  
 dulcedo gratissima, optabilis, & præstātissima! O quā  
 singularis, quā excellens, & ineffabilis! Intrus enim in  
 corde vtcunque teneo, verbis autem explicare non  
 valeo, quam sentire potui, non possum effari, rei ni-  
 mietate victus. Tam felici refectione pastus, hanc su-  
 per-



peraddere superfluum duco: hæc breue & modicæ  
 nutrimentum præstat, illa in perpetuum reficit & sa-  
 ginat. O quam beati sūt qui illa sine fine fruituri sūt.  
 Iubente Abbate, vocati sūt quidam nouitij, viri  
 quondam in seculo elari, virtute militari insignes,  
 quos ita consolatus est; Verè felices estis, & terque  
 quaterque beati, qui de vana vestra conuersatione  
 atque mundana vanitate per diuinam misericordiam  
 vocati estis, partem in cœlis cum iustis habituri: con-  
 stat enim de salute vestra, si tamen perseueraueritis:  
 Nam dominus David indefinenter pro vobis preces  
 ad Dominū fudit, quatenus quod salubriter inchoa-  
 stis, feliciter compleatis. Vnum autem eorum no-  
 mine exprimens, de eo dicebat, nisi portas Claustrij  
 ingressus fuisset, mortis æternæ portas non euasisset.  
 Aderant & hospites conuertendi gratia de sedibus  
 suis euocati, sed nimio adhuc rerum temporalium a-  
 more detenti, rem arduam aggredi dubitabant. Qui  
 fiducialiter accedentes ad virum Dei, mentisque flu-  
 ctuationem confessi, quod videlicet velle adiaceret  
 eis, perficere autem bonum non inuenirent: suppli-  
 cabant vt orationibus eius adiuti mererentur in bo-  
 no stabiliri. Et ille: Quam diu mente adhæretis secu-  
 lo, non potestis perfectè placere Deo, nec firmari in  
 bono, habentes voluntatem fixam in malo: quapro-  
 pter recedite omnino ab his, quæ inutiliter amatis, &  
 non deerit vobis gratia Saluatoris. Si vidissetis quæ  
 ego vidi, omnem gloriam mundi vilem reputaretis.  
 Deinde multa quærebant: ille de patre, ille de fratre,  
 ille de suo statu futuro, ille de præsentij. Sed vir Dei ita  
 de singulis responsū reperauit, vt secretorū reuelator  
 & conscientiarū inspector esse probaretur. Mox vocā-  
 te Domino S. illa anima carne soluta est, ad dolores  
 corporis ultra non reditura, sed vt credimus, immor-  
 talitatis luce vestienda, & perenni gaudiorum suauita-  
 te reficienda. Duo hæc capitula, sicut quinque reli-  
 qua, quæ sequuntur, à quodā reperi notata, qui se ea,  
 quæ dicta sūt, vidisse & audiuisse cōmemorat, quæ pe-  
 rare nō sū passus: habēt præterea plures testes, qui ad-  
 huc



huc supersunt. APOLLONIVS: Prosequere obsecro residua, quia tanto sunt audientibus gratiora, quanto tuo testimonio recenter gesta scripto sunt mandata.

## CAPVT IV.

## CÆSARIVS:

**F**Vit in eadem domo monachus sacerdos, nomine Sigerus, ætate iuuenis, & amator ordinis, sui corporis seuerus castigator, qui inter cætera virtutum opera, sanctam Dei genitricem ardentè diligebat, & quibus poterat modis, alios ad amorem eius accendebat. Cùm autem accersionis suæ hora imminabat, eo quod infirmaretur, & languor esset fortissimus, quidam Conuersus, magna Dei gratia præditus, quæ Dominus secretis consolationibus suis frequenter consolari dignatur, huiusmodi visionem vidit: Visa est ei tabula defunctorum pulsari, & ire cœpit ad muniedum fratris exitum: & fortè transitum habens per palatium operis mirifici, inuenit residentem in eo matronam reuerendæ dignitatis, cuius facies angelicam præferebat gratiam, & niueum indumenta candorem. Hærebat igitur defixis in eam luminibus, certus tam desiderabili personæ diuinum numen inesse: denique tantæ diuinitatis præsentia ausum præbente, propius accedit, non metuens offensæ periculum, & familiariter verba conserit, dicens; Amantissima domina, quid causæ habes ingredi ad nos, cùm hoc non sit licitum matronis? Et illa: Speciali, inquit, jure fungor in domo ista, & venio visitare familiares & domesticos meos. Et ille, piam pro fratribus gerens sollicitudinem, ait: Ecce fratres nostri viritim decedunt, iuuenes, & senes, & mediocres, & non est personarum acceptio: quid inde nobis faciendum est? Et illa: Debetis decantare, Te Deum laudamus. Cùm plura responderet, hæc tantùm verba retinuit vir simplex & sine litteris. Interim verò pulsata est tabula, & cessauit visio figuratiua. Credimus piam Dei genitricem, vtpote matrem misericordiæ, fideli suo in morte non defuisse, & tale iudicium aduentus sui dedisse.

CÆ



**E**A tempestate, venit ad cōuersionem adolescēs laicus, mundi corruptelam incorruptus euadens, carnis integritate seruata, quod est magnum diuinæ miserationis beneficium. Hic cum se capitulo præsentasset, consequenter languore correptus inunctus est: quo inuncto, alius defunctus est, cuius exequijs cum vniuersi interessent, infirmis interim sine custode relictis, audiuit adolescēs ille choros angelorum, obsequia funeris agentium, & suauitate psallentium magnificè delectatus est. Insuper quidam ex ipsis præsentialiter astiterunt ei, & allocuti sunt, dicentes: Amice, tu quid dicis? Placet ne tibi hac

*Philip. 1.*

vice venire ad nos? Et ille: Vehementer cupio dissolui, & esse cum Christo. Et angeli: Esto paratus, expletis præsentibus exequijs, statim nobiscum ibis. Ille promissi haud dubius superni, futurorum gaudiorum primitias iam corde præsenties, lætus & hians, redeuntē infirmario rem pandit per ordinem, & adiecit: Sternite mattam, & pulsate tabulam, & quæ preparanda sunt parate celerius, iam enim iturus sum ad Dominum. Quod ita factum est. Porro quidam infirmus proximus iacebat ei, & quasi contiguus, tenui tantum pariete diuisus ab ipso, qui audiuit angelos cum eo loquentes, qui adhuc superest testis fidelis, cuius testimonio fidem facit vita laudabilis.

## CAPVT VI.

**E**Rat in eadem domo, Claustro scilicet, laicus Conuersus, nomine Obertus, vir moribus ornatus, & actione circumspectus, a primis adolescentiæ annis deseruiēs in ordine, ad omne iuuentis imperiū hilaris & promptus. Hic annis circiter triginta, cum fratribus infirmis tam deuotum quam sedulum exhibuisset obsequium, ipse quoque diuersa corporis inæqualitate correptus est, & in magnis laboribus superueniens, annis quasi viginti, longum trahebat martyriū. Veruntamē, licet corpore inualidus, animi prouidentia non deerat fratrum necessitatibus, prudenter disponēs omnia. Tandē oborte mortalita



talitatis urgente procella, & languore inualeſcente,  
 diem ſuum ſunctus, vita ſimul & doloribus ereptus  
 eſt. Nocte beati Stephani, quæ proxima eſt natali Do-  
 mini, pulſata eſt tabula defunctorum pro eo, & ſur-  
 gentes feſtinanter, aduenerunt fratres, orationibus  
 muniētes fratris exitum. Iacebat autem, vt moris eſt,  
 poſitus ſupra mattam, extremum trahens ſpiritus.  
 Dicta lętania, cū adhuc aliquid ſpiramēti ſuperreſſe  
 videretur, incepti ſunt ſeptem Pſalmi: inter dicendū,  
 tanquam de leui ſomno excitatus, reuixit, circumfe-  
 rens oculos, & iubente Abbate repoſitus eſt in lectum  
 ſuum, & reuerſi ſumus. Quidam autem rei nouitate  
 percuſi, manſerunt circa eum, expectantes donec cō-  
 ualeſceret ſpiritus eius, cupientes audire ab eo quid  
 hoc eſſet miraculi. Poſtquam autem ſibi redditus eſt,  
 ita dicere exorſus eſt: Hic ego quid facio, certe hic eſ-  
 ſe nolo: modò eram inter angelos, cęleſtis harmoniæ  
 ſuauitate demulcebar, deputatus eram beato proto-  
 martyri, gloriæ ipſius cōſors, & collega futurus. Hic  
 ergo quid facio? certè redire volo. Poſt modicum, ite-  
 rum tabula pulſata eſt, & feliciter obdormiens in Do- *Psal. 77.*  
 mino, vt credimus, non eſt fraudatus à deſiderio ſuo,  
 partem habiturus in ſorte Sanctorum. Quòd autem  
 præoſtenſa ſibi gloria reuerſus ad horā caruit, in hoc  
 puſillanimitati noſtrę conſultum eſſe nō ambigimus,  
 videlicet vt minùs ſolicitos deuotos faceret, & profi-  
 cientes ſtudiis melioribus accenderet.

## CAPVT VII.

**I**N eadem domo cęcus quidam Conuerſus fuit, cui  
 Deus interioris hominis lumen contulit, damnum  
 corporis cęleſti munere commutans: dedit enim eī  
 diuinas videre viſiones, aliquando gloriā Sanctorū,  
 frequenter pœnas malorum, aſſiduè ipſum dæmonē,  
 flammiumos ignium globos eructantem. Mira ſunt  
 hæc, & munera Dei. Frequenter autem patitur dæmo-  
 num incurſus & congreſſus, ita vt ipſi impingant in  
 eum, & ipſe vel pugno vel baculo affligat eos. Hos  
 aſſultus pati ſolet in quolibet loco, magis in eccleſia,  
 maximè cū pro defunctis orat. Ea tempeſtate eos

T t

pit



pit iste in exequijs defunctorum audire choros angelorum psallentium, modò cum monachis, modò diuifim: Cùm autem efferebantur corpora præcedente conuentu, manebant angeli in choro; exequiarum officia complentes. Inter Sanctus autem & Pater noster ineffabiles solebat audire iubilos, & supra humanam æstimationem dulces. Hæc cœlestis modulatio post depositionem domini David dulcior & magis intelligibilis audiebatur. Contigit aliquando, Dominum Abbatem ædificationis causa venire ad hunc cœcum, qui inter cætera, acceptæ gratiæ beneficium confessus est, & hic diligenter antè præmonitus est ab Abbate, vt diuinæ gratiæ gratus existens, omnem humanam gloriã excluderet, diuinum apud se munus occultans, ne sanctum daret canibus. Et respondit se tantum hoc vnico fratri suo carnali dixisse. Et intellexit Abbas lapsum hominis. Post dies aliquos, reuerso Abbate humiliatus coram eo, cœlesti se carere beneficio lachrymosè confessus est. Et inflicta ei graui pœnitentia, quæ superbienti subtracta fuit, pœnitenti restituta est gratia.

## CAPVT VIII.

**D**Vm in extremis ageret frater Hildebrandus, tabula pulsata, conuentus accurrit: quo morientem circũstante, & exequias ex more celebrante, stetit frater quidam inter alios, cui talem visionẽ Dominus reuelare dignatus est. Vidit, & ecce alius conuentus superuenit hominum albatorum, qui in loco, quo moriens jacebat, speciosum valde puerum accipiens, cum gaudio magno & canticis abiit. Itaque gemina felicitis huius fratris substantia à gemino conuentu delata atque deducta est, anima scilicet à conuentu albatorum ad beatam requiẽ, corpus verò à conuentu albatorum ad ecclesiam: vtroque sanè pro eo quod deferebant, in Dei laudem, quanquam differenter, concrepante. APOLLONIUS: Quid est quòd in quorundam iustorum morte tam mirifica videtur, & in aliorum, quæ eis in merito pares sunt, vel fortè majores, nulla ostenduntur? CÆSARIUS: Vna causa est, vt la-  
tens



tens sanctitas morientium viuentibus manifestetur: alia, vt eorum virtutes, quibus hoc meruerunt, imitentur: tertia est, vt iustorum innocentia, si malè fuerint (vt saepe fit) infamati, demonstretur. Verbi causa.

## CAPVT IX.

**I**N eodem cœnobio quodam fratre fautore, nomine Wenero, Conuersum aliquem quidam ex fratribus calumniati sunt sine causa, ita vt ejiceretur ab illis. Contigit post hæc, vt frater idem moreretur, & iam dictus Wenerus interesset commendationi eius. Moris autem tunc erat, vt aliquo super matrâposito, fratres sicut sine processione occurrerunt, ita sine ordine circa morientem starent, vbi cuique prior occursum aut deuotio locû dedit, laicis fratribus hinc inde circa monachos stantibus. Corpore igitur mortui loto & allato, vidit idem Wenerus multas candelas in circuitu feretri statutas, & omnes ardentes: in parte autem, qua ipse stabat, omnes candelæ pariter extinctæ sunt. Vnde miratus simul & territus, cum corpus in Ecclesiam delatum fuisset, ipse dominum Sifridum traxit in partem, & cõfessionem fecit, extinctionem candelarum suis peccatis imputans, & innocentia fratris manifestandæ. Reuersus in ecclesiam, easdem candelas inuenit, & omnes ex omni parte ardentes vidit.

## CAPVT X.

**A**Nno præterito defunctus est ibidem dominus Hertwicus Prior, vt quidem grandæuus, & circa disciplinam feruentissimus: qui cum serò putaretur esse moriturus, multis, qui conuenerant, clara voce dicebat: Non modò moriar, sed crastina die hora nona ero ante summum iudicem, de omnibus operibus meis ibidem redditurus rationem: eadè siquidem hora expirauit. In cuius transitu quidam confessi sunt se angelos audiuisse. Simile habes de Vlrico monacho Vilariensi in distinctione 9. c. 31. APOLLON. Quid est quòd ille prædixit se iturum esse ad nuptias, iste ad iudicium? CÆSARIVS: Ille, vt pote in adolescentia conuersus, piè præsumebat de custodia



innocentia; istum terruerunt peccata multo tempore  
 commissa: senex enim venerat ad conuersionē. *Apoc. 4.* **LONIVS:** Beati mortui, qui sic in Domino moriuntur.  
**CÆSARIVS:** Quanta sit in Domino morientium  
 beatitudo, subjecta declarabunt exempla.

## CAPVT XI.

**I**N sepedicto clauſtro Conuerſus quidam fuit no-  
 mine Mēgozus, vir ſimplex & religioſus, in coqui-  
 na conuētus ſeruiens. Accidit, vt die quadam cum  
 iuvene quodam monacho, hebdomadario coquina,  
 lignum incideret: qui cū minus cautē pedem ad  
 ſcindendum ſeruaret, monachus eundem pedem di-  
 uiſit. Deportatus in infirmatorium, cū nimis tor-  
 queretur inunctus eſt. Inſtante tempore eundi ad ca-  
 pitulum generate, dixit ei bonæ memoriæ dominus  
 Giſilbertus Abbas: Frater Mengoze, non debes mori,  
 ſed expectabis me. Reſpondente illo: Si in me fuerit,  
 faciam. Subiunxit Abbas: Ego præcipio tibi. Iuit ergo  
 ad capitulum, & moratus eſt diutius. Reuerſo eo, &  
 veniente ad portam, pulſata eſt tabula & campana.  
 Interrogauit Abbas cui pulſaretur: dicente portario,  
 quia fratri Mengozo. Reſpondit Abbas: Ego deberem  
 ei adhuc loqui: feſtinanſque ad orationem, cū ve-  
 niſſet in infirmatorium, ille expirauerat. Et cū ſe in-  
 clinafſet ad mortuum, alta voce dicebat: Frater Men-  
 goze, & non erat ibi vox neque ſpiritus: cūque ſe-  
 cundò idem nomen repetiſſet, reſpondit Prior: Noli-  
 te vos fatigare, expirauit enim. Tunc Abbas ſe ad il-  
 lius aurem magis inclinans clamauit, dicens: Ego ti-  
 bi præceperam, ne morereris donec venirem: ego tibi  
 iterum præcipio, vt reſpōdeas mihi. Ad quod verbum  
 ille quaſi de graui ſomno excitatus, oculos aperuit, &  
 ingemuit: Och Pater, inquit, quid feciſti? Bene eram,  
 vt quid me reuocaſti? Vbi, inquit, eras? Reſpondit Co-  
 uerſus: In paradifo poſita erat mihi ſedes aurea, ſecus  
 pedes Dominae noſtræ, & cū me reuocares, aduenit  
 Dominus Iſenbardus Sacriſta noſter, trahenſque de  
 fede eadem, dicebat: Non hīc ſedebis, inobedienter  
 huc veniſti, reuertere ad Abbatem tuum: ſicque re-  
 uerſus



ætus sum: attamen promissum est mihi, quòd eadem  
 sedes mihi foret reseruanda. Vidi eundem Isenbardū  
 in multa gloria, in cuius pede apparuit macula, eo  
 quòd nobiscum existens, inuitus iret ad labores. A-  
 POLLONIVS: Cū Sancti sine macula sint ante  
 thronum Dei, quid est quòd in gloria ciuis cœlestis  
 visa est macula? CÆSARIVS: Propter viuentes visio ea-  
 dem ostensa est, vt gloria monachis viuentibus esset  
 ad consolationem, macula verò negligētibus ad cor-  
 reptionem: licet enim inuitus iret cum fratribus ad  
 laborem manuum, valde tamen sollicitus fuerat circa  
 diuinum seruitium, libenter maturè matutinas pulsa-  
 bat, libenter altè cantabat. A POLLONIVS: Placet  
 quod dicis. CÆSARIVS: Testatus est idem Mengo-  
 zus, se dominum; Dauid ibidem vidisse, & alios mul-  
 tos, qui nuper fuerant defuncti. Dicebat etiam, infra  
 triginta dies aliquos de purgatorio esse liberandos.  
 Cūque hæc & his similia recitare cœpisset, aduoca-  
 ti sunt nouitij, viri in seculo nominati, Gerardus vi-  
 delicet, \*Marcinannus, & Carolus postea Abbas, de  
 cuius etiam manu comedit in signum veræ resuscita-  
 tionis. Posthæc, cū postulasset licentiam redeundi,  
 respondit Abbas: Modò vadas in pace, & benedixit ei.  
 Ad quod verbū mox oculos clausit, & expirauit. Hæc  
 mihi recitata sunt à senioribus nostris, & à iam dicto  
 \*Marcinanno, qui tanto miraculo interfuerat. Cū  
 que præfatus Isenbardus esset mortuus, & Gerardus  
 cognomento Washart ad pedes illius resideret,  
 prophetico spiritu ad stabilitatem illum hortatus  
 est, dicens: O Gerarde, vide ne exeas ordinem, quia  
 multa millia dæmonum ante portam expectant te.  
 Quid postea de eodem Gerardo actum sit, nouimus  
 omnes.

## CAPVT XII.

**S**imile miraculum contigit in eadem domo. Cū  
 esset ibidem nouitius dominus Hermannus, nūc  
 Abbas loci Sanctæ Mariæ, sicut ipse mihi rerulit,  
 venit ad eum die quadam aliquis de senioribus, dicēs:  
 Venite mecum, ego faciam vos audire in continenti,



quæ libenter audietis. Et duxit eum ad quendam Conuersum Gosbertum nomine, qui mortuus fuerat, & reuixit: quem Conuersi, nescio quot, sunt secuti, sperantes quòd noui aliquid essent audituri. Ad quos ille: Vos domini numeratis annos conuersionis vestre, alius quadraginta, alius triginta, alius decem; Ego uobis dico, quòd beatus est monachus ille siue Conuersus, qui bene vno anno, vel mense, vel quòd minus est, vna hebdomada in ordine conuersatus est. Quibus cum amplius dicere nolleret, recesserunt. Ad quem nouitius: Rogo vos, bone frater, vt aliquid mihi referatis, quòd me edificet. Respondit ille: Ego cum nuper infirmarer, essemque in doloribus maximis, venit ad lectum meum nescio quid; cumque primò tetigisset pedes meos, gradatim ascendendo, tetigit ventrem meum, ac deinde pectus, nec tamen ex eodem tactu aliquid mali sensi: tacto verò capite meo, mox expirauit, ductusque sum in locum amœnissimum, & nimis delizioso, in quo diuersi generis arbores ac multi coloris flores aspexi: occurrerunt mihi & iuvenes speciosissimi, à quibus officiosissime sum saluatus, & ante Dominam nostram cœli reginam cum multa alacritate deductus. Posita est mihi sedes secus pedes eius, in qua cum sederem cum multa cordis mei iocunditate, iussus sum redire ad corpus, de quo cum plurimum dolerem, consolati sunt me, dicentes: Nec tristeris; quia sedes hæc tibi reseruabitur, & post dies paucos redibis ad eam. Quos cum iturus interrogassem de statu futuro nostræ domus, responderunt: Bonus est status eius præsens sub Abbate hoc Gisilberto, neque plus ab eis obtinere potui. Circa tertium verò diem rursum expirauit idem Gosbertus. APOLLONIUS: Cum in primo cap. huius distinct. dictum sit, nullam poenam in hac vita morte esse amariorem, quid est quòd neuter istorum Conuersorum de illius amaritudine conqueritur? CAESARIUS: Puto tantum de illis esse intelligendum, quorum anima separatur à corpore non reuersura nisi ad diem iudicij. Lege Lazarum, cum adolescente ac puella suscitatos, Tibitham etiam & Maternum,

*Ioan. 11.*

*Luc. 7. 8.*

*Actor. 9.*



lum, nec non & multos alios, quorum nullus de hac re aliquid conqueritur. Quosdam etiam tam placidè videmus mori, ac si in somnum resoluantur: vnde de hac quæstione nihil certè diffinire possum. APOLLONIVS: Si qua sunt residua de morientibus prædictæ domus, precor vt mihi edisseras. CÆSARIVS: Hoc vt fiat, oportet me ordinem propositum mutare, ita vt intercalari modo loquar, nunc de bene viuentibus & bene morientibus, nunc de malè viuentibus & bene morientibus, nunc reuertendo ad illos. APOLLONIVS: Dūmodo loquaris ædificatoria, de ordine modica cura est. CÆSARIVS: Audi ergo quanta sit misericordia Dei.

## CAPVT XIII.

**A**Nte aliquot annos in Claustro sacerdos quidam defunctus est, cuius vita talis erat: In ordine quidem nigro factus fuerat monachus & sacerdos, in quo tantum profecerat, vt Prioratus officium adipisceretur. Sed faciente inuidia diaboli, & propria temeritate, desertis castitatis & innocentiaë castris, in regionem abiit dissimilitudinis pactū facere cum delectationibus suis: aliquando autè pœnitenti ductus, Præmonstratēsis ordinis regularis effectus est. Rursumque circumuentus à satana, in pristinos cecidit errores. Dehinc ad nostrum ordinem se contulit: iterumque factus apostata, voluptatibus frena laxauit, non erubescens domesticam vxoris cohabitationem, Nouissimè diebus istis respectus à Deo patre luminum, seculum cum concupiscentijs deseruit, veniensque Hemmenrode, ingressum petiuit, & obtinuit. Mox ad arma pœnitentiæ conuolans, confessionibus, assiduis lachrymis, oratione, & ieiunijs, omnibus ferè pœnitendi formam præbuit, & decurso breui tempore, anno scilicet necdum dimidiato, tactus molestia carnis, lecto decubuit, non tamen indulgentius se agens, ceptum viriliter consummabat agonem, modò psallens, modò orās, modò sanctā Dei genitricē salutans: habebat autè quasdam ipsius salutationes, sine quibus nec vigilans nec dormiēs inueniri

*Qui post  
malam  
vitā, bene  
sunt  
mortui.*

*Iacob. x.*



poterat, quas ante horam exitus sui collo suo ipse circumligauerat, in testimonium fiducia & bonae spei suae. Rogabat autem Dominum Abbatem sibi assistere cum paucis fratribus, quibus sic prolocutus est: Reuerende pater & domini, peccator ego & poenitens, testes vos mihi apud Deum esse cupio sinceræ confessionis, & veræ poenitentiae: paratus enim sum ad omnem satisfactionem, qualibet tormenta, quoslibet labores subire, si Deus mihi vitam donauerit. Nihil durum, nihil difficile, nihil impossibile amanti, & verè poenitenti. Sic verè compunctus, & verè poenitens, benedictiones & gratiarum actiones adhuc in ore habens, Deo felicem reddidit spiritum. In cuius transitu quidam monacho talis visio reuelata est. Videbat angelos in infirmatorio, epulis & gaudiis multis lætantes, medium autem sedere Salomonem, tam solennis lætitiæ participem, dicebatur enim Salomon: superueniunt & alii angeli, secum adducentes sex de fratribus nostris, qui eo tempore decesserant, sacerdotes in albis personis pretiosis luce clariùs fulgentes, qui & dixerunt: His lex dimissa sunt peccata sua, & huic septimo, digito demonstrantes Salomonem. Interim pulsante tabula frater, qui hæc viderat, euigilauit, & veniens inuenit eum in eodem loco exhalantem spiritum, quo viderat eum participasse conuiuio angelorum. APOLLONIVS: Puto quòd hi, qui sunt in fruitione Dei, sæpe pro suis fratribus adhuc peregrinantibus Deum exoret. CÆSARIVS. Hoc sermo sequens declarat.

## CAPVT XIV.

**F**Vir in eodem Claustro monachus quidam Rudergerus nomine, secundum nomen suum satis rudis in conuersatione; in ordine siquidem minus ordinatè vixerat; & quòd deterius erat, sapius apostatando, tempus poenitentiae sibi concessæ inutiliter consumpserat. Circa finem vitæ suæ reuersus, & receptus, hydropisi morbo percussus est; qui cum die quadam ante lectum suum sederet, & orationes aliquas diceret, beatus Dauid, ante annos decem defunctus,



In effigie nota ingrediens, cū duobus aequè defunctis, ait: Frater Rudingere quid agis, aut quomodo habes? Respondit ille sicut homo pauper & infirmus: Corpus per tumorem distenditur, & quod me plus angit, multorum criminum mole conscientia grauat. Quem sanctus consolans dixit: Diu quidem malè vixisti, sed hodie scias te moriturum; ego Dominam nostrā sanctam Dei genitricem & reliquos sanctos pro te rogaui, & duos eos inueni, & nisi exauditus fuero, totum caelestem exercitum pro te mouebo, sicque disparuit. Quod cū ille domino Hermanno Abbati, quandoque sanctorum Apostolorum Decano, & tūc in Claustro Priori recitasset, respondit ille: Bone domine Rudingere, vos estis vir prouectæ ætatis, & infirmus, & cito moriemini, nolite dicere nisi veritatem, bene nouerat vitam eius. Respondit infirmus: Si non fuero mortuus hodie, hora nona diei, falsa sunt quæ dixi. Quid plura? Hora prædicta monachus moritur, & de visione Prior certificatur. APOLLONIVS: Puto demones multum fremere, cū tales eis subtrahuntur. CAESARIUS: Sicut sancti Angeli morientium animas deducere nituntur in cælum, sic angeli mali eas detrudere conantur in infernum.

## CAPVT XV.

**M**ortuus est in eadem dōmo quidam Conuersus, nomine Gerungus: iste ante conuersionem quorundam Episcoporum Treuerensium, successiuè tamen, fuerat dispensator & durus pauperum exactor, tandem quorundam admonitione persuasus, Hemmenrode venit, ubi in habitu seculari tempore aliquanto de proprio vixit. Tactus graui infirmitate, magis timore gehennæ quam amore patriæ, habitum induens, in infirmatorium Conuersorum deportatus est. Qui cū ad extrema deuenisset, & in lecto suo solus jaceret, aspiciente quodam Conuerso, nomine Ludone, vultures aduolantes in pertica lecti eius resederunt, cum quibus homines terræ magni atque deformes intrantes, eundem circumsteterunt. Iam dictus Ludo de visione primū admiras,

*Damones  
morienti  
bus insi-  
diantur.*

T t s

&amp; post



& post paululum, quòd dæmones essent, qui morietur animas quasi escam præstolentur recogitans, alta voce clamauit: Quid statis ibi vos domini? Egredimini. Qui cum minimè obedirent, secundò clamauit: Ego vobis præcipio in nomine Domini vt exeatis. Ad quod verbum mox viri egredientes, & vultures auolantes, nusquam comparuerunt. Iacebat autem idem Ludo infirmus in lecto opposito, vir senex & religiosus, corpore virgo. Visio hæc, sicut & subsequentes, relata est mihi à domino Hermàno Abbate, tunc ibidem Priore. Quantum verò agonizantibus fratrum præsentium oratio profit, eadem visione declarabitur.

## CAPVT XVI

**C**irca idem tempus alius quidam Conuersus illic moriebatur, homo quidem ponderosus & tardus, & ideo cæteris despectus: qui cum positus fuisset super mattam, finisque eius adesset, duorum aduolantes inopinatè girauerunt circa illum, tandem in trabe, quæ capiti eius imminerebat, residentes; quos vt vidit frater Henricus, cuius sæpe in superioribus mentio facta est, dæmones illos esse suspicatus, quidnam facturi essent expectauit. Interim pulsata est tabula, & accurrit conuentus, cum quæ crux introferretur, colūba niuea illam præcedens, ostium infirmatorij prior intrauit, & super iam dictam trabem volitans, inter eorum media resedit: cūq; cum illis decertaret, hinc inde alis eos verberans, tandem adepta victoria, & de domo eliminatis, ipsa in loco coruorum tandiu erat residens, donec Conuersus expirasset, & donec lotus, & feretro impositus, eodem loco restitutus fuisset: quem cum in oratorium fratres deportarent, columba eadem auolans crucem præcedebat, sicq; nusquam comparuit. **APOLLONIVS:** Quid videtur tibi fuisse columba illa? **CÆSARIUS:** Angelica aliqua persona, quæ fratrum orationibus adjuta, pro anima morientis cum dæmonibus dimicauit atque triuphauit. **Quantus illic sit dæmonum concursus, vbi hi moriuntur, qui eis seruiuerunt, sermo sequens ostendit.**

## CAPVT



**C**Vno magnus dominus castri de Malburg, vir potens & diues in seculo, tam valens in militia, ne dicam in malitia, quam vigeus in prudentia seculari, ante finem vitæ in saepe fato Claustro habitum suscepit regularem: & quia temporis longinquitate nõ poterat, morum probitate dies suos dimidiare satagebat, vbi aded profecit, quod consummatus in breui, expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Vnde & qui vocauerat eum ad suum seruitium, non solum præstitit ei veniam delictorum, sed & in tali ordine præcognitum ei fecit finem suum. Habebat conuentus dextrarium pulcherrimũ, quem equaricia suo propter scetũ nobile deputauerat: quẽ cũ vir nobilis Henricus de Hsenburg concupisceret, neque precio habere posset, hoc actum est, vt absconscẽ subtractus ei transmitteretur: quem cũ minimẽ redderet, missus est prædictus Cuno, qui eidem Henrico fuerat in seculo amicissimus: & cũ nihil proficeret, videns hominẽ obstinatum irruente in se, vt potest paruit, spiritu Dei, ad diuinũ eum iudicium appellauit, diem ei præfigens. Quid plura? Henricus appellationem contempsit, & Cuno domum rediens, omnibus modis, quibus potuit, ad eundem diem se præparauit, dicebat igitur Abbati: Domine sexta feria crucem accepi, sexta feria transfretani, feria sexta in capella mea me vobis tradidi, sexta feria habitum indui regularem, Deus sexta feria laborum meorum mihi restituet mercedem. Expletis verò iam tribus annis in sancta conuersatione, febre correptus est, visitatus ab amicis, se dixit tertia die moriturũ. Illi autẽ recedere volebant, eo quod leuis esset eius infirmitas, & nulla adhuc signa mortis apparerẽt, sed ipse rogabat, ne solennitari suæ deessent. Et factum est vt moreretur die tertio, hoc est, in vigilia sancti Iacobi, sicut ipse prædixerat. Eo sanè tempore erat mulier obsessa in villa Meyne, quæ hora mortis eiusdem Cunonis liberata est, & venit ad sacerdotem suum, dicẽs demonẽ exille: post paululum verò rediens diabolus, grauius vexare miseram

Sap. 4.

miseram



miseram cœpit: adducta est igitur ad sacerdotem, quæ  
 quasi concionando cum diabolo cœpit interrogare  
 eum, & dicere: Miser tu exieras? Ita est, inquit. Et vbi,  
 ait, fuisti infelix? Ad quod diabolus: Cuno ibi super  
 martam jacebat, & debebat mori, ad cuius transitum  
 festinantes, penè quindecim milia sociorum meorum  
 cum maximo tripudio hîc transibant; & videbar mihi  
 nunquam gaudium aliquod habiturus, nisi iuissem  
 cum eis. Sciens autem vas istud mihi traditum me  
 amittere non posse, reliqui illud ad tempus, & iui cū  
 eis. Dixit quæ sacerdos: Quid actum est ibi? Respondit  
 diabolus: Superuenerunt maledicti confurati illi, &  
 circumstantes cadauer, ita validè populari cœperunt,  
 quòd nullus nostrum propiùs accedere ausus fuit. Di-  
 xit iterum sacerdos: Et vbi deuenit anima? Respondit  
 diabolus: Ad pedes altissimi; & videte boni homines,  
 quanta nobis iniuria sit illata; homo iste nobis ser-  
 uierat plus quàm quadraginta annis, ad omnem vo-  
 luntatem nostram nocte ac die paratissimus, & modò  
 tribus annis tantùm alteri seruiuit domino, & ille no-  
 bis abstulit eum. Cùm igitur nobis anima auferretur,  
 furore commoti, in inuicè tota debacchatione gra-  
 sati sumus, & ego modò non habeo vbi me vindicem,  
 nisi in hoc vasculo, quod mihi traditum est. Trāfactis  
 autem paucis diebus, postquam res præmissa cōperta  
 est in Claustro, Herwicus quidam monachus per par-  
 tes illas transitum habebat, qui sciens quia diabolus  
 mendax est & pater mendacij, experiri voluit huius  
 rei veritatem. Diuertēs igitur ad obsessam mulierem,  
 indicium quo credi posset quæ fuit à dæmone. At ille  
 primò noluit confiteri, sed à monacho iuramentis  
 constrictus, dixit: Quia Abbatulus tuus manum mo-  
 rientis in manu sua tenuit: cuius rei monachus ille  
 conscius, aliis eius verbis credi posse consensit. Hen-  
 ricus verò de Isenburch audiens eum præfixo die de-  
 functum, pelli suæ valde pertimuit, & cum multa fe-  
 stinatione ad Claustrum veniens, dextrarium super-  
 bè retentum, nudis pedibus, manu propria, ad defun-  
 cti sepulchrum adduxit, pœnitentiam agens apud il-  
 lum.

*Joan. 3.*



lum. Hæc mihi de obitu monachorum Claustrensium comperta sunt. APOLLONIVS: Si dæmones electis in morte sic sunt importuni, quid sit de reprobis, quorū peccata sanctorum Angelorum impediunt præsidia? CÆSARIVS: De hoc satis dicturus sum in sequentibus, Mors Cunonis aliorum militum obitus ad memoriā mihi reuocat, qui malè quidem vixerunt, sed felici fine decesserunt.

## CAPVT XVIII.

**E**Rat quidam miles in Saxonia, Ludolphus nomine, sed tyrannus actione; hic cū die quadam vestibis nouis atque scarlatis indutus in via equitaret, rusticum cum curru obuium habuit, cuius cū vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerentur, ipse, utpote miles superbus, commotus valde, extracto gladio, homini pedem amputauit; qui postea, Deo miserante, de peccatis suis dolens, in domo ordinis nostri, quæ Porta vocatur, factus est monachus. Non multo post, in grauem infirmitatem incidens, cū quotidie à se mala commissā deplangeret, & maximè abscissionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti respondit: Non potero consolari, nisi videro signa Iob in corpore meo. Et ecce post dies paucos cicatricem, instar fili coccinei, contemplatus est circa talum suum in eodem pede & in eodem loco, vbi rustico pedem truncauerat, qui paulatim cœpit computrescere, ita ut vermes de eo scaturirent. Tunc repletus gaudio ait; Modò de venia spero, quia video signa Iob in corpore meo, sicque in multa cordis contritione atque gratiarum actione, inualecente morbo, spiritum reddidit. Hæc mihi relata sunt ab Abbate Liuoniæ, qui filius est domus supradictæ.

## CAPVT XIX.

**A**Lterius cuiusdam militis mortem valde pretiosam retulit mihi Adam monachus de Lucca, cuius in superioribus memini. Erat, inquit, in Saxonia miles quidā Alardus nomine, qui vir fuerat tantę probitatis, ut in primo torneamento, in quo miles factus est, manu propria quatuordecim dextrarios

rios



rios acquireret: qui, sicut vir prudens, eundem honorem temporalem non suis viribus sed Deo ascribens, omnia restituit, & sodalibus cum seculo valedicens, in Lucka monasterio nostræ religionis habitum suscepit. Et quia electos suos probat Dominus, tanta illum infirmitate flagellauit, vt vermes de eius corpore indefinenter scaturirent; quorum fetorem simul & horrorem cum ministri sustinere non possent, ait Abbas prædicto Adæ: Quid faciemus frater cum homine isto? Respondit ille: Dentur mihi quatuor lintheamina, & ego pro Christi nomine curam illius suscipiam. Quod cum factum fuisset, assidua pannorum mutatione, fetorem temperauit, tam sibi quam ægroto. Cumque dies adesset remunerationis tantæ patientiæ, ait Adæ: Sternite mihi mattam, & pulsate tabulam, quia Dominus vocat me, & fecit sic. Veniente conuentu, post dictam letaniam, cum omnes penè ad lachrymas verbis valde compunctiuus mouisset, subjunxit: Modò ite domini mei dilectissimi, & dicite missas vestras, quia Saluator mundi & gloriosa eius genitrix, cum angelis & multitudine sanctorum, illuc venturi sunt, post reuertimini cum eis, quia animam meam suscipient. Interim dum missas dicerent, sicut mihi retulit sæpe dictus Adam, Alardus spiritu prophetico, omnia quæ in oratorio agebantur, indicauit, dicens: Tales Missæ, à talibus sacerdotibus, ad talia altaria celebrantur. Et miratus est valde de homine laico. Reuertente conuentu, ille vultu iucundo sic ait: Ecce Christus cum matre & sanctis suis præfens est, habentes manus sub mento meo, & iam suscipient animam meam, nec mihi credatis, si in instanti mortuus non fuero. Ad quod verbum mox expirauit, morte verba confirmans. De cuius corpore statim tantus odor exiuit, vt omnes illius suauitate reficerentur circumstantes. APOLLON. Valde me recreat horum oratio. CÆSARIUS: Ex quo sermo est de militibus, referã vnde amplius adificeris, iterumque reuertar ad personas religiosas.



## CAPVT XX.

**M**iles quidam sceleratissimus ab inimicis suis captus est & occisus, qui cum moreretur, hæc ei verba vltima fuerunt: Domine miserere mei. In cuius morte obsessus liberatus est, quæ cum post dies paucos atrocis vexaret, sicut supra dictum est de Cunone, cap. 17. interrogatus de hoc respondit: Multi congregati fuimus in morte militis illius, sed quia nihil ibi obtinuimus, amplius in hoc modico vasculo me vindico. Requisitus de causa subiecit: Tria tantum heu verba moriens protulit, propter quæ potestatem nostram euasit. Ecce huic prædoni, ob inuocationem diuini nominis, sicut latroni in cruce, tormentum versum est in martyrium. APOLLONIVS: In hoc exemplo satis considero, quod pœnitentia vera nunquam sit sera. CÆSARIVS: Duo subjungam exempla, per quæ cognosces, quod extrema contritio sit ex multa misericordia Dei.

## CAPVT XXI.

**I**N Frisia nuper homo quidam diues infirmatus est; habebat autem filium monachum & sacerdotem in Claro-campo, domo ordinis nostri, pro quo cum misisset, quasi pro salute animæ suæ, nescio quo Dei iudicio, sine confessione, sine viatico, & sine inunctione mortuus est.

## CAPVT XXII.

**C**irca idem tempus in eadem prouincia alius quidam Friso, hostibus suis occurrens, vulneratus ad mortem, & occisi sunt duo filij eius, cumque patrem occisores æstimarēt mortuum, abierunt. Cōperto tanto scelere, magister grāgiæ in Bethwerde, adducto plastro, occisos superposuit, & cum patrem adhuc spirare vidisset, clamauit: Viuitis adhuc domine? cumque ille minimè respōderet, timens hostes esse, subiecit Conuersus: Ego sum, ne timeatis. Tunc ille: Ego enim adhuc viuo. Mox leuatus in vehiculo deportatus est ad grangiā, peccata sua confessus est, communicauit, inunctus est, sicq; spiritum reddidit. Ecce prior cum tempus haberet pœnitēdi, & filius

eum



cū de salute quotidie moneret, omnia neglexit, moriēs impœnites: alter verò semimortuus, oleo misericordiae, & vino penitētiæ, veri Samaritani cōfotus, de stabulo transiit ad palatiū. Et est in his impletum q̄ scriptura dicit: Cui vult miseretur, gratiam infundendo; & quem vult indurat, gratiam non apponendo.

## CAPVT XXIII.

**I**N diœcesi Traiectensi miles quidam exitit nomine Wigerus, in actibus militia nominatissimus, in prima expeditione Dei munere compunctus, cruce signatus mare transiit, tam fortiter & tam instanter Saracenos impugnans, vt tam Regi Ierosolymitano quam cæteris Christianis dilectus esset & acceptus, & inimicis Christi nimis odiosus. Qui cū per annum integram Saluatori ibidem strenue, vt dictum est, militasset, & repatriare cogitasset, die quadā in oculis eius in conflictu seruus eius occisus est, cuius animam in specie columbæ cœlos videns penetrare, compunctus de visione, dicebat intra se: Quid agere proponis ô miser? si reuersus fueris, vitia repetes dimissa, & erunt nouissima tua peiora prioribus. Ex tunc fortius agens solito, die quadam conflictum intravit, & occubuit, cuius caput Saraceni præcidentes, cum multa gloria circūtulerunt; Christiani verò, corpus rapientes atque sepelientes, Ecclesiā super ipsum fabricauerunt.

## CAPVT XXIIII.

**C**Ira illa tempora, Theodericus de Rulant, vir potens & diues, deuotionis gratia profectus est Ierosolymam. Prostratus ante sepulchrum Dominicum huiusmodi fudit orationem: Domine Iesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo me emendare a vitijs pristinis, non me permittas redire in terram meam, sed vt hīc mihi mori liceat concede. Audiuit hanc orationem alius miles, compater eius, & ait: Orastis ne bene hodie compater? Etiam, inquit, dicēte illo: Et cui vultis dimittere vxorē & liberos vestros? Respondit Theodericus: Meli⁹ est vt illos deserā, quam animam meam per dā. Quid plura? Exaudita est oratio



oratio religiosi militis, & post dies paucos defunctus, conuictus est ciuibus Ierusalem cœlestis. Quam prope sit Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, mors alterius cuiusdam demonstrat. *Ps. 144.*

## CAPVT XXV.

**I**N Ostburg monasterio Traiectensis diœcesis monachus quidam fuit tenax iustitiæ, zelum habes disciplinæ: cumque mortuo illius temporis Abbate, is, qui hoc anno defunctus est, ei per electionem substitueretur, ille sciens eum virum secularem atque incontinentem, igemuit dicens: Heu modo disciplina domus huius peribit: est enim de ordine nigro monasterium, aliquando diues satis, & ait: Domine Iesu Christe, peto ne sinas me diutius viuere, ne videam desolationem huius monasterij. Cumque induci non posset vt eundem eligeret, siue professionem faceret, ait ad eum mente tranquilla: Deus nouit, quia diligam vos, sed scio quod religio domus huius destruetur per vos. Manè, dicta Missa, ab eodem Abbate se intungi petiuit, & vix obtinuit, contradicente Abbate, eo quod suauissimus videretur, respōdit: Hodie oportet me mori. Deinde strata matta, se in ea reposuit, & per tabulam conuentum aduocari fecit. Dictis orationibus, cum minimè moreretur, surrexit, stolamq; in qua Missas dicere consueuerat collo imponens, coram altari more agonizantium se reposuit, hanc orationem fundens: Domina sancta virgo Maria, si vnquam per hanc stolam Missam celebraui tibi placentem, suscipe animam meam in hac hora. Exauditus est iustus, & expirauit, & secundum prophetiam eius, domus illa, tam in spiritualibus, quam in corporalibus, valde defecit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate ordinis nostri, necnon ab Euerhardo monacho & sacerdote eiusdem cœnobij. *4. Reg. 2.*

**A**POLLONIVS: Non miror si Deus quandoque iustos tollit, ne peccata dimissa repetant, vel ne mala imminetia videant, vt Iosiam: sed hoc me terret, quod iusti aliquando subito rapiuntur, vel, quod horribilius est, igne, aquis, vel præcipitio pereunt. *Sap. 4.*

**C**ÆSARIVS: Iusti quacunque morte præoccupati fuerint, *Sap. 4.*



in refrigerio erunt: multis enim causis omiſſis, quæ assignari poſſent, quare id Dominus permittat, vna est, vt virtutes eorum oſcultæ pateſiant.

## CAPVT XXVI.

*Iustos in  
terdum  
violenta  
morte  
interire.*

**A**Nte hoc quinquenniū, qui nunc est dux Baioariæ, vnum ex Abbatibus ordinis noſtri ad ſe vocauit, nescio quid cum eo tractaturus: nocte præparatus est ei lectus in horreo, qui cum dicto cõpletorio iſſet cubitum, lumen, quod a Conuerſo poſti fuerat infixum, in ſtramen cecidit, & in flammam profecit: à quibus Abbas excitatus, cum oſtium exire non poſſet, in modum crucis ſe in terram proſternens, exitum ſuum Domino cõmendauit. Comperto incendio, dux cū militibus & omnibus qui aderant accurrit, rejectiſque lignis ac ſtipulis, Abbatem ſemiuſtum atque extinctum extraxerunt: & ecce circa pectus eius apparuit caſſella cum reliquiis, ventrẽ verò eius catena ferrea ſtringebat; quibus viſis, dux compunctus dicebat: Videte quòd ſancto iſti viro veſtimentorum aſperitas ſufficere non potuit, niſi etiam catenam ſuperadderet. Sepultuſque eſt Ratiſbonæ in Eccleſia maiori. Poſt dies paucos, cum duo milites in eodem loco Miſſam audirent, vnus ſepulcrũ eius aſcendit. Vt autem Deus oſtenderet, qualis eſſet meriti illic tumulatus, miles tam vehementer in pedibus ardere cõcepit, vt deſiliens clamaret: quo comperto, alter reſpondit: Sepulchrum eſt illius combuſti Abbatis. Ex illa die, habitus eſt in eadem Eccleſia in magna veneratione.

## CAPVT XXVII.

*Mors bona eorũ,  
qui aliquando  
malè vixerant.*

**I**N eccleſia ſancti Maximini in Colonia temporibus meis quidam fuit incluſus cõnobij euſdem initiator: eſt enim illic congregatio ſanctimonialium. Hic ante conuerſionem concubinam habuerat, & quia ſimul peccauerant, ſimilem ſuſceperunt pænitentiam adeò duram, vt vterque circulo ferro ventrẽ ſuum ligaret. Ipſe verò in prædicto loco ſe includẽs, Miſſas ſuas celebrãdo, Domino vacabat, cui illa foris in habitu religioſo miniſtrabat neceſſaria.

*Aduer-*



Adueniente tempore vocacionis eius, dominum En-  
 fridum Decanum sancti Andreae, cuius vitam in di-  
 stinctione sexta cap. 5. descripsi, vocauit, confessione  
 fecit, vitam reuelauit: cui ille in virtute sanctae obe-  
 dientiae praecipit, vt circulum fineret deponi, quod &  
 fecit; sicque eo defuncto, mulier post paucos dies coe-  
 pit infirmari: & quia timuit quod sacerdoti accide-  
 rat, secretum suum prodere noluit, cuius virtute Deus  
 non sinebat esse occultam. In hora vero qua expira-  
 uit, vinculum eius dirupit; cumque fines ligaturae il-  
 lius ferreae, tunicam, in qua moriebatur, ex utroque  
 latere suspenderent, multae matronae, feminae sanctae  
 exitum praestolantes, postquam rem cognouerunt, de  
 tanto miraculo Deum glorificauerunt. Haec mihi re-  
 lata sunt a filia sororis praedicti sacerdotis. Vincula  
 ista reuocant mihi ad memoriam, mortem cuiusdam  
 sanctimonialis pretiosam.

## CAPVT XXVIII.

**I**N Brabantia apud Niuelliam, monasterium san-  
 ctae Gertrudis virginis, puella quaedam nobilis  
 extitit, Clementia nomine: haec cum suadente  
 diabolo lapsum carnis incurrisset, tunicam innocen-  
 tia, quam polluerat, quotidianis lachrymis mundare  
 satagebat: sic dedita erat operibus misericordiae, vt  
 omnes suos redditus pauperibus erogando, nihil pe-  
 ne sibi retineret. Tempore quoda circa hyemis prin-  
 cipium, cum ferè nuda esset, nimisque egeret, sedens  
 iuxta altare sanctae Gertrudis, sic orauit: O dulcissi-  
 ma Domina, quomodo tibi seruiam in hyeme hac, cum  
 nihil habeam? Eadem hora superueniens quidam  
 peregrinus, cum ad memoriam iam dictae virginis  
 orasset, quinque solidos in sinum Clementiae iactauit,  
 & abiit. Hoc quasi pro miraculo ipsa Wigero mona-  
 cho Vilarienti retulit, & ipse mihi. Cum autem mo-  
 reretur, inuenti sunt circa corpus eius nouem circuli  
 ferrei. **APOLLONIVS**: Mirabilia operatur Deus in sexu  
 fragili. **CAESARIVS**: Licet propositi mei sit in hac  
 distinctione tantum tractare de morientibus, refe-  
 ram tibi tamē, per occasionem huius sanctimonialis,



fortem pœnitentiam alterius cuiusdam mulieris.

## CAPVT XXIX.

**N**on est diu quòd virgo quædam Leodiensis, Osi-  
lia nomine, cui cuidam nupserat Metensi, quo  
mortuo, quia pulchra erat valde, canonicus qui-  
dam Leodiensis illam duxit, in tantum eam amans, vt  
per clausuram ab humanis aspectibus eam remoue-  
ret. Post cuius mortem, illa de peccatis suis dolens,  
iuxta ecclesiam sancti Seuerini se reclusit, vbi ex ni-  
mia cõtritione saepe lachrymas sanguineas profudit:  
insuper & vinculis ferreis se ligari fecit, cum quibus  
cùm steteret in oratione, omnia dirupta sunt. Timēs  
verò eadem vincula Deo non esse accepta, secundò li-  
gata est; quod cùm confessa fuisset Abbati sancti Lã-  
berti, dolentē consolans, ait: Qui dixit Mariæ Mag-  
dalenæ; Dimissa sunt tibi peccata tua, ipse vincula di-  
rupit tua, sicque consolata est. APOLLONIVS: Si qua  
residua sunt de morte justorum, vt explicentur oro.  
CAESARIVS: Quædam tibi adhuc de his referam, in  
quibus consoletis simul & terrearis.

Luca 7.

## CAPVT XXX.

**A**n te hoc quadrienniũ Gerbrandus Abbas Cla-  
ricampi in Frisia, cum Abbate nostro de capi-  
tulo rediens generali, in via infirmari cœpit,  
ita vt cum maximo labore Foniacum perueniret: ibi-  
que diem clausit extremum. In ipsa die mortis eius,  
sanctimonialis quædam de Sion, quæ domus est ordi-  
nis nostri pertinens ad Clarum-campum, facta in mē-  
tis excessu, vidit animam eius ab angelis in cælum de-  
ferri: expressit etiam domum & locum sepulturæ e-  
ius, necnon & habitum, in quo sepultus est. Vidit  
insuper successori eius Iuoni duos dari baculos, sci-  
licet virgas pastorales, ex quibus primam abiecit, al-  
teram retinuit. Idem Iuo Prior fuerat in Claro-cam-  
po, de quo assumptus est in Abbatem sancti Bernardi:  
deinde post breue tempus mortuo prædicto Gerbrã-  
do, qui fuerat grandæuus, & iustus, & disciplinatus, i-  
dem Iuo, Abbate meo præfente, necnon & me, factus  
est Abbas Claricampi: sicq; secundũ quod de illo præ-  
osten-



ostensum fuit, primum baculum abiecit, alterum adhuc retinens.

## CAPVT XXXI.

**I**N monte sanctæ Walburgis sanctimonialis quædam fuit \* Vdewolt nomine, femina bona, & satis feruens in religione; hæc cum iam agonizaret, sicut audiui à fororibus, quæ præsentibus erant, manum extendit contra ostium, dicens: Ecce nuncius Dei foris stat expectans animam meam, sicque post modicum reddidit spiritum, ab eodem angelo deducenda in paradysum. Hoc etiam scias, quod sæpe à mortuis viui vocantur. Verbi causa.

\* al. V.  
dellolt.

## CAPVT XXXII.

**A**Nte paucos annos Heidenricus sacerdos, & Vini à cellerarius noster maior, in somnis apparens mortuis successori suo Conrado, tunicam propriam vocatur ei tradidit induendam; quam cum ille induisset, infirmitate præuentus, post dies paucos defunctus est.

## CAPVT XXXIII.

**N**ondum annus elapsus est, quod Lambertus monachus noster, nocte dominica in choro obdormiens, Richwinum nostrum Cellerarium, ante aliquot annos defunctum, chorum intrantem cõspexit: & cum annueret ei manu, dicens: Frater Lamberte, veni simul ibimus ad Rhenum. Ille sciens eum mortuum, renuit, & ait: Credite mihi, non ibo vobiscum. A quo cum repulsam pateretur, ad oppositum chorum severtens, quendam senem monachum Conradum nomine, qui circa quinquaginta annos militauerat in ordine, simili signo ac verbo vocauit: quem ille mox secutus est, caputio capiti imposito. Eadem die post cœnã, cū Prior quosdã ex nobis vocasset, & idẽ Conradus præsens esset, ait ei, me audiẽte, iã dictus Lambertus: Verẽ dñe Cõrade, vos citò moriemini: in hac enim cuculla vidi vos hac nocte Richwinũ sequentẽ, referens ei visionem per ordinem: cui ille respondit: Non curo, modò vellem esse mortuus. Sequenti die, si bene meminì, infirmare cœpit, & post breue tempus defunctus, in eadem cuculla sepultus est.

VV 3

CA.



**F**emina quædam religiosa de Armenia, cum filio & filia veniens Coloniã, in ecclesia maiori ieiunijs & orationibus Deo seruiebant: vocabatur autem filius Gregorius, homo simplex & sacerdos: nomen autem sororis Maria. Anno autem præterito, matre defuncta, infra tricenarium etiam Gregorius ad extrema deductus est, cumque soror coram illo sedens lachrymaretur valde, ille consolans eam ait: Noli flere, quia mater nostra vocat me. Et illa; Vbi est? Respondit; Ecce coram me stat, sicque anima illa sancta, carne soluta est: corpus verò eius, cum multo honore, inter canonicos eiusdem ecclesiæ sepultum est. **APOLLON.** Valde mihi videtur esse perfecti, quorum animæ carne resolutæ, mox ascendunt ad requiẽ. **CÆSARIVS:** Verum dicis, neque hoc te lateat, quod valde parua sũt iudicio hominũ, quæ perfectos, maxime claustrales, ab introitu glorię quãdoque retardant.

*Peccata  
minuta  
religiosos  
sape impe  
dire nere  
Et hinc  
in cœlum  
euolens.  
\* al Tim-  
na.*

**C**onuersus quidam de \* Cynna, quæ domus est ordinis nostri, cum die quadam missus ab Abbate suo, nauigio transiret per fluuium Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo nauum requisivit; qui cum diceret, nihil se ad manũ habere de pecunia, respondit ille; Date mihi pro pignore cingulum vel cultellum vestrum. Non possum, inquit, carere his, & adiecit: Ego promitto vobis cum ordine meo, quod dimidium denarium vobis remittam, & dimisit eum nauta. Recedens ab eo Conuersus, eo quod res modica videretur, promissum paruipendit, nihil remittens. Non multo post infirmatus, cum omnibus qui aderat mortuus videretur, anima egressa, cum ad requiẽ ascendere vellet, prædictum dimidium denarium, cuius in confessione nõ meminit, ante oculos habebat, qui adeo creuit, vt mundo maior videretur: cumque sursum nitenti semper obsisteret, neque aliud esse, quod impediret, ad angelorum petitionem permessa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis, visionem retulit, & missus est ab Abbate nautę integer denarius, sub  
omni



omni celeritate: quem, vt ille recepit, eadem hora secundum considerationem Conuersus expirauit. Hæc mihi narrauit Abbas Liuoniæ, asserens sibi recitata à prædicto Abbate. Vnde religiosi, quanto sæcularibus maius præmium sperant, tanto esse debent solliciti, ne morientes aliquid pulueris secum trahant.

## CAPVT XXXVI.

**A**Nte annos paucos in regno Francorum, quadam domo ordinis Cisterciensis, monachus quidam bonæ vitæ laborabat in acutis: qui dum duplici calore torqueretur, infirmitatis scilicet & aëris, rogauit infirmarium, quatenus sibi liceret cucullam exuere, & induere scapulare: quod ille concessit, compassus infirmo. Qui cum abiret, reuersus, infirmum reperit expirasse: non modicum ex hoc turbatus, domum clausit, scapulare extraxit, reinduit ei cucullam, sicque in matta illum ponens, tabulam pulsauit. Deportatus in oratorium, proxima nocte, cum monachi secundum consuetudinem circa corpus Psalmos legerent, ille in feretro se erigens, & circumspiciens, monachos aduocauit: qui cum territi fugerent omnes in dormitoriū, excepto Suppore, qui constantior erat, ait illi: Nolite timere, & ego sum ille frater vester, qui mortuus fui, & reuixi, vocate mihi Abbatem. Interim signantibus monachis qui fugerāt, quia surrexisset mortuus, factus est in dormitorio magnus motus atque concursus. Accedente Abbate ad feretrum, ait ille: Domine confiteor vobis, quod sic atque sic mortuus sum, ductus verò ab angelis ad paradysum, cum putarem me libere posse intrare, accessit ad ostiū sanctus Benedictus & ait: Quis enim es tu? Respondente me: Ego sum monachus ordinis Cisterciensis: subiecit sanctus: Nequaquam, si monachus es, vbi est habitus tuus? Iste locus est quietis, & tu vis intrare cum habitu laboris? Qui cum circumgyrassem muros eiusdem felicissimæ mansionis, & per fenestras seniores quosdam magnæ reuerentiæ illic cospexissem, vni illorum, qui ceteris benignior videbatur, vt pro me intercederet, supplicavi; cuius interuentu permissus sum ad corpus



redire, vt sic habitu à te recepto, merear ad prædictam beatitudinem introire. Quo audito Abbas cucullam, in qua iacebat, ei extraxit; cucullam, quam in infirmitate exuerat, ei reinduens: sicque accepta benedictione, rursus expirauit. Vocatur autem domus, in qua contigerunt, \* Szere: Abbas de Relashufen, per nos transiens, nobis retulit hoc miraculum, dicens se audiuisse à Priore & conuentu iam dicta domus.

\* al. Sze-  
se

## CAPVT XXXVII.

**S**imile ex parte contigit hoc anno apud Strasburg. Cùm quidam ciuis ibi defunctus fuisset, & in fetro positus, anima ad corpus reuersa est; & cùm clamaret, Quomodo veni huc? quomodo veni huc? Vocata est vxor eius; ad quam ille; Dei misericordia reductus sum, & hoc tibi dico, nisi omnia quæ habemus relinquamus, non poterimus saluari. Sicque omnibus, prout poterat, salubriter dispositis, infra triduum mortuus est: fuerat eorum substantia de malo acquisita. APOLLONIVS: Quid est quod maximè morientibus possit subuenire? CAESARIVS: Confessio pura, atque contritio. Ecce exemplum.

## CAPVT XXXVIII.

**M**agister Thomas theologus, cùm in præsentis expeditione in castro peregrinorum in camera quadam lecto decumbens esset moriturus, vidit diabolum in angulo stantem: què cùm cognouisset, voce Martini allocutus est eum, dicens; Quid hinc astas cruenta bestia? Dic mihi, quid est quod maximè vobis noceat? Cùmque ille nihil responderet, scholasticus subiunxit: Adiuuro te per Deum viuum, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & seculum per ignem, vt dicas mihi huius interrogationis veritatem. Ad quod dæmon respondit; Nihil est in ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic virtutes nostras eneruet, quam frequēs cōfessio: quādo enim homo in peccatis est, peccatis dico mortalib⁹, omnia eius mēbra ligata sunt, & nō potest se mouere: cùm verò peccata eadē cōfiteretur, statim liber est, & mobilis ad òne bonū. Quo audito doctor ille bonus, & crucis

Sulpit. in  
epistola  
ad Bassu-  
lam.

Chri-



Christi fidelis prædicator, lætus expira uit. **APOLLONIVS**: De confessione non dubito quin valde sit bona, secundum quod tertiæ distinctionis plurima probant exempla. **CÆSARIVS**: De morte iustorum hæc dicta sufficiant, de quibus etiam in superioribus multa exempla redundant, quæ recapitulare super-  
 sedeo, quia ad mortes malorum festino. Quam misere, quam horribiliter moriantur vsurarij, auari, pecuniosi, dolosi, superbi, prædones, homicidæ, contentiosi, luxuriosi, vitijsque similibus subiecti, quæ Apostolus appellat opera carnis, quibusdam tibi pandam exemplis. *Gal. 5.*

## CAPVT XXXIX.

**I**N ciuitate Metensi, sicut mihi narrauit Abbas quidam ordinis nostri, vsurarius quidam defunctus est, auarus nimis: qui cum moriturus esset, supplicauit uxori suæ, vt crumenam denarijs refertam iuxta se poneret in sepulchrum. Quod cum illa fecisset, quanto secretius potuisset, tamen latere non potuit. *De morte malorum, & primo vsurarium.*  
 Accedentes aliqui, sepulchrum latenter aperuerunt, & ecce duos ibi conspicantur bufones, vnum ex ore crumenæ, alterum in pectore: ille denarios ore de crumena extrahebat, iste suscipiens extractos cordi eius immittebat, ac si dicerent: Nos pecunia satiabimus cor tuum insatiabile. Quibus visis, illi timore percussi, terram rejicientes fugerunt. Quid putas anima huius pati in inferno, a vermibus immortalibus, si tam horrenda in eius corpore demonstrata sunt in sepulchro? Non minus horrendum est quod sequitur.

## CAPVT XL.

**I**N villa Frechene, quæ ad vnum miliare distat à Colonia, matrona quædam morabatur Iutta nomine, moribus quidem satis composita, sed vsuraria: de quo vitio cum sæpius argueretur à Suppriori nostro Gerlaco, qui tunc temporis ecclesiam iam dictæ villæ regebat, emendationem quidem promisit, sed non seruauit. Tandem in peccatis suis mortua est: & propter tumorem corporis, ne foeteret, posita est super terram. Et ecce, diabolus manus eius &



brachia mouit, ad instar numerantis pecuniam: miserum est pro Gerlaco, vt diabolus à vexatione corporis exorcismis cohiberet: quod cum fecisset, corpus quieuit, & cum adjurare cessaret, illud non cessauit, nunc crura nunc manus mouendo. Tunc tollens aristas, aquæ benedictæ intinxit, & ori eius immisit, quas illa auidiſsimè masticare cœpit, tandem tollens stolam, cum exorcismo collo eius circumligauit, sicque dæmones ab eius corpore compescuit. Erat ibi tempore eodem rusticus quidam, qui dicebat sacerdoti: Scias domine, quòd diabolus in hac nocte stupenda operabitur in hoc corpore. Referam enim vobis simile, quod temporibus contigit pueritiæ meæ.

## CAPVT XLI.

**F**Verat in Bacheim, villa proxima, famosa quædam vsuraria: hæc cum moritura esset, campum totum coruis ac cornicibus vidit repletum, & clamauit fortiter: Ecce modò appropinquant foris ad me. Et adiecit; ô wi, ô wi, modò sunt in tecto, modò in domo, modò pectus meum laniant, modò animam meam extrahunt, sicque cum vlulatu efflauit spiritum, à dæmonibus ad inferos deducendum: qui eadem nocte corpus de feretro, multis, qui aderant, videntibus tollentes, vsque ad tectum leuauerunt, & cum trabi impingerent, iuxta limen ostij illud eadere sinentes, confrerunt. Extincta sunt luminaria, fugerunt homines, manè in iam dicto loco corpus reperientes, quod bestiali sepulturæ tradiderunt.

## CAPVT XLII.

**I**N diœcesi Coloniensi ante paucos annos miles quidam defunctus est nomine Theodericus, vsurarius admodum nominatus: hic tandem infirmatus, materia ascendente in cerebrum, factus est phreneticus: qui cum quotidie dentes & os moueret, dixerunt ei ministri sui: Quid comeditis domine? Respondit ille: Denarios ego mastico. Visum ei fuerat quòd denarios ori eius dæmones infunderent: Non possum, inquit, sustinere dæmones istos, portate me ad monasterium Rode, boni illi homines sunt, fortè auxi-



auxilio illorum ab his diabolis liberabor. Quò cum delatus fuisset, clamauit: Reportate me: plures enim hic dæmones video, quam in domo mea: erat enim de villa Wurme. Sic miser relatus, & a dæmonibus agiratus, expirauit, quam execrabile vitium sit vsura, in suis tormentis multis ostendēs. Quidam dixerunt, se in ore & in guttere eius denarios vidisse. *Colof. 3.*

**LONIVS:** Bene Apostolus auaritiã idolorum appellat seruitutem, cui sic dæmones famulantur. **CÆSARIVS:** Auaritia heu, non solum in secularibus, sed etiam in personis ecclesiasticis regnat, cuique famulatur.

## CAPVT XLIII.

**L**Vtharius Præpositus Bonnensis clericum habebat nimis auarum, Monasteriensis ecclesiæ *De Auaris.* canonicum: & quia ex eius consilio idem Præpositus pendebat, multam pecuniam Walterus congregauerat: qui cum moreretur, nec vnum quidē denarium pro anima sua legauit. In ipsa hora mortis eius, Godefridus ecclesiæ sancti Andree in Colonia canonicus, coram domino suo Adolpho, tunc maioris ecclesiæ Decano, & postea Archiepiscopo, in porta clericorum dormiuit, cui talis visio ostensa est: Visum est, quòd prædictus Walterus pecuniã de magno cumulo in tabula numeraret, & quòd dæmon ex altera parte in æthiopsis effigie residens, illius computationē diligentissimè consideraret: in ipsa computatione Walterus frequenter ex ipsa pecunia aliquid furtiuè vesti propriæ submisit, qua numerata, dæmon in hæc verba prorupit: Computat argentum Walterus, subtrahit illud. Deinde manibus complois, cum multo cachinno subiecit: Plus quã ducentas subtraxit Waltero marcas, (sic enim ex quadam superbia vocari solebat.) Excitans dominum suum Godefridus, quid viderit recitauit. Et compertum est, quòd eadem hora expirauit. Præpositus verò omnem illius pecuniam tulit, asserens illam suam fuisse.



**G**odefridus verò non minus miserè defunctus est: erat siquidem auarus valde, & magnam in curia pecuniam collegerat. Die quadam tempore Philippi Regis Romani, magnum in domo sua debitoribus domini sui fecerat conuiuium, ex pecunijs eiusdem Philippi, quas Adolpho pro coronatione dederat, illis accomodata restituere proponens: ante enim quàm de eodem conuiuio gustasset, apoplexia tactus obmutuit, & sine confessione atque sacra communione spiritum exhalauit. Post cuius mortem cuidam sacerdoti talis de eo visio ostensa est: Vidit eum Coloniae ante monetam incudi impositum, què Iacobus Iudæus, imò Iudæorum episcopus, cui fuerat familiaris, malleo extendit vsque ad denarij tenuitatē. Et bene concordabat poena culpæ; fuerat enim magister monetæ, & monetariorum socius, & quia multa ibi cōgregauerat pecuniã, luere ibidē visus est auaritiæ poenam. Quæ de morte Hermanni, secundi Decani in Colonia, percepi non tacebo.

## CAPVT XLV.

**E**Rat idem Hermannus homo multum auarus, & amator pecuniæ: accidit ante hoc biennium, vt canonicus quidam Bonnenfis, Wynricus nomine, cognomento Stempel, moreretur: qui statim post mortem Erwino, maioris in Colonia ecclesiæ canonico, in somnis apparens ait: Rogo te, vt ad diem meum venias ante capellam sancti Nicolai. Quod cum Erwinus renueret, sciens eum mortuum, subiecit ille; Peto vt hoc ipsum dicas secundo Decano, quia dies erit octauo die. Ille euigilans, & de visione satis admirans, quid viderit, vel quid Winricus mandauerit, manè Decano recitauit. Qui statim visum intelligens, respondit: Ego satis timeo, quod diē eius citò obseruare debeam, quia homo senex sū & debilis. Statim eadem die peius cœpit habere, ita vt prædicto die moreretur. Quod vbi comperit Erwinus, timens quia & ipse moriturus esset, cœpit se per cōfessionem atque sacram communionem ad mortem

prapa-



preparare. Ad quem maior Præpositus; Cras in conueniu dicite ei missam solennem, & sepelite, sicque satisfecistis petitioni eius. Quod ita factum est, atque iuxta capellam prædicti confessoris ab eo supultus. Adhuc idem Erwinus viuit, à cuius ore audiui, quæ dicta sūt. Inter auaros pœnas soluēt etiā aduocati, qui modò salaria pingua recipiunt, & causas subuertunt.

## CAPVT XLVI.

**N** Arrauit mihi ante paucos menses aliquis sacerdos de Saxonia, dicens: Nuper in terra nostra quidam decretista nominatus mortuus est: qui cum hiaret, lingua in ore defuncti non est inuenta. Et meritò linguam perdidit moriens, qui illam sæpe vendiderat viuens. **APOLLONIVS**: Simile dixisse te recolo de Henrico Ratione in distinct. 6. capitu. 28. **CAESARIVS**: Recordor nunc cuiusdam verbi, de huiusmodi aduocatis ironicè dicti. Eodem tempore, quo iam dictus Henricus obiit, mortuus est & magister\* Falco Treuerensis, mortui sunt & plures nobiles terræ: Rectè, inquit quidam canonicus, faciunt nobiles isti, quòd morientes secum ducunt aduocatos istos, erunt enim eis necessarij. **APOLLONIVS**: Non ibi valebit Saxo neque Ratio, quia sine lingua, siue clauso ore, verba minimè formantur. **CAESARIVS**: In illo diuino examine, vbi aperti erunt libri, & Ierusalem scrutabitur in lucernis, nullus aduocatorum neque pro se neque pro alijs assignare poterit aliqua falsa loca ex legibus siue decretis. Et hæc dicta sūt de auaris. De dolosis verò, cui coniuncta est auaritia, nunc aliqua subiungam exempla.

## CAPVT XLVII.

**I**N diœcesi Coloniensi, villa Bude, rusticus quidam fuit Henricus nomine: hic cum morti proximus esset, lapidè grandè & ignitum supra se in aère pendere conspexit. Ex cuius ardore cum æger nimis æstuarer, voce clamauit horribili: En lapis capit meo immines totum me incedit. Vocatus est sacerdos, confiteretur, sed nihil profuit illi; Recogita, inquit, si aliquè

*De Aduocatis malis.*

*\* al. Folio.*

*Sopho.*

*De Dolosis.*

*aliquè*



aliquē lapide isto defraudaueris. Ad quod verbum ille in se reuersus, ait: Recordor me eundē, vt agros meos ampliarem, in alienos terminos transtulisse. Respondēte sacerdote: Hæc est causa: ille culpam confitetur, satisfactionem pollicetur, sicque a terribili illa visione liberatur.

*\* al. Re-  
gheim.*

## CAPVT XLVIII.

**S**imile contigit in villa cui \* Recheym vocabulum est. Cū rusticus quidam ibidem moriturus esset, diabolus assistens, palum igneum ori eius immittere minabatur: ille culpam non ignorans, quocumque se vertebat, semper diabolum cum palo presentem habebat. Palum siquidem eiusdem quantitatis & formæ, de agro suo, in agrum cuiusdam honesti militis eiusdem villæ, Godefridi nomine, transfererat, sibi addendo quod illi subtraxerat. Ad quem, cogente iam dicta necessitate, suos misit, ablata restituere promisit, per quos vt reo ignosceret, supplicauit. Quibus respondit miles: Non ignoscam, finite filiū mulieris bene torqueri. Iterum terretur vt prius, iterum nuncios mittit, sed veniam non consequitur. Tertio eis cum lachrymis venientibus, & dicentibus: Rogamus vos Domine intuitu Dei, vt vestra recipiatis, & misero culpam remittatis, quia mori nō potest, neque viuere licet. Respondit: Modò bene vindicatus sum, modò remittam. Ab illa hora, terror omnis diabolicus cessauit. Ex his exemplis satis colligitur, quòd secundum qualitatem culpæ, etiā Deus formet qualitatem pænæ. Audi nunc, quod te tibi que similes consoletur, de diuitibus atque superbis.

## CAPVT XLIX.

*De diuitibus atque superbis.*

**F**uit in regno Francorum clericus quidam, nobilis & diues, quæ duo saepe hominem extollunt, multisque vitijs subiciunt: qui cū mortuus fuisset, & in feretro positus, multitudine populi circumfidente, tã ex clericis quàm ex laicis, ipse se crexit, eūctis audientibus, in hæc verba prorumpens; Iustus iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatū tradidit in manus impiorū: quibus dictis, se reclinans  
iterum,



Iterum, non obdormiuit, sed de requie transiuit ad laborem, de delicijs ad miseriam.

## CAPVT L.

**I**N eodem regno alius quidam clericus fuit, & ipse vitiosus valde, sicut & superior: qui cum admonitus fuisset ab amicis de confessione, essetque ei allatum corpus Domini à sacerdote, accipere noluit, vertensque se ad parietem, sic ait; Tuba canit apud inferos, eamus hinc: sicque expirans, tubam secutus est infernalem. **APOLLONIVS**: Si sic Deus execratur diuitias atque superbiam, puto quòd valde puniat blasphemiam. **CAESARIVS**: Valde Deus punit quandoque illud vitium, etiam in infidelibus, sicut nuper didici ex relatione cuiusdam monachi Vilarientis, qui circa hæreticos Albienses cum domino Conrado Cardinali satis laborauit.

## CAPVT LI.

**C**Omes Fulcensis hæreticus, & hæreticorum *De bla-*  
coadiutor, cum vltimum castrum suum reha- *sphemia,*  
beret, in tantam erupit blasphemiam, vt dice-  
ret; Velit nolit Deus, velit nolit ecclesia Romana, &  
omnes sancti, ego terram meam rehabebo: moxque  
de equo, cui infidebat, ruens, horribiliter torquebatur,  
& cum à militibus esset eleuatus, denuo ruit, pœnam  
soluens blasphemiae. Reductus verò in domum suam,  
primùm torqueri cœpit in pedibus, deinde in cruri-  
bus, postea in pectore, & cum ei relictum fuisset offi-  
cium linguæ, si fortè pœnitere vellet, ipsamque con-  
fessionem prorsus contemneret, circa quatuor men-  
ses, à die quâ percussus est, impœnitens expirauit. Hæc  
de diuitijs, superbia, atque blasphemia dicta sint.  
Quanta verò pœna prædonibus præparata sit, finis  
vnius ostendat.

## CAPVT LII.

**C**irca illud tempus, quo Philippus rex inimica-  
batur Colonensibus propter Ottonem, sa- *De præ-*  
telles quidã Ioannes nomine, cognomenro Da- *donibus*  
aus, prouincia deprædat<sup>o</sup> est. Hic cum post multa ma-  
la moriturus esset, diabol<sup>o</sup> moriendi nimis importunus  
fuit;



fuit : in cuius aspectu pallens ac tremens , ad circumstantes clamabat : Date mihi gladium , vt repellam à me hunc , qui infestat me virum nigerrimum. Dicentibus eis : Neminem hìc videmus , inuoca Deum , miser ille desperatus respondit : Quid mihi posset prodesse , si modò illum inuocarem ? Multum inquit . Tunc ille : Deus , si potes , adiuua me , sicque expirauit . Et satis timeo quòd modicum ei profuerit tam infirma & tam extorta inuocatio .

## CAPVT LIII.

**E**odem tempore seruus quidam , aliquando cursor Ottonis Archidiaconi Leodiensis , officium suum deserens , multitudini prædonū , quæ Rurta vulgò dicitur , se associauit : inter quos episcopum se nominans , & episcopum per insulam repræsentans , sociis facere consueuerat peccatorum abolitionem . Die quadam , duobus ex eis vidētibus , duos canes Dominus ei immisit , à quibus laceratus & extinctus , penam soluit deprædationis atque irrisionis diuinorum sacramentorum . Quia prædam homicidia frequenter sequuntur , aliqua tibi proferam exempla de morte miserabili homicidarum .

## CAPVT LIIII.

**V**ix duo anni elapsi sunt , quòd ciuis quidã Monasteriensis defunctus est . Hic cum domum & pecunias multas filio suo vnico dimisisset , ille luxuriosè viuendo cum meretricibus , & in tabernis , omnia sua mobilia consumpsit : domum verò sororio suo vendens , & abiens , pretium illius in breui dilapidauit . Necessitate compellente , ad eundem suum sororium rediens , ab eo , tum propter vxorem , tum propter venditam possessionem , detentus est . Quem cum primùm honestè satis , ac deinde negligentius tractaret , ille ex indignatione eum deserens , domum venditam repetiuit , se circumuentum conquerens . A quo cum nihil per iustitiam siue per minas obtinere posset , bipenni illum in medio foro occidit . Mox in ecclesiam S. Pauli fugiens , clericis cantantibus clamare cepit : Vos domini , defendite libertatem vestram ; quod



quod & fecerunt. Venientes ad eum viri honesti, in fide sua eum educere voluerunt, volentes inter ipsum & occisum, seu occisi amicos, componere, miserti illius. Quod cum primùm acceperat, mox habito secum consilio respondit: Non egrediar, nisi absoluti sitis à pollicito juramēto. Quem post paululum vnus ex sodalibus vocans, ait: Exi Bernarde, exi, vinum optimum in tali venditur taberna: quos securus, post modicum proditus est & captus. Requisitus cur esset de ecclesia, respondit: Ita mihi asdere videbatur pavimentum sub pedibus meis, vt sustinere non possem. Posito eo in rota, cum manē scholares ad eum venissent, & dicerent: Bernarde, viuis adhuc fuerat enim literatus. Respondit: Adhuc viuo, moxque subiecit: in nocte transacta campum istum plenum vidī demonibus. Nullum tamen signum vel verbum peccatitudinis ab eo audire vel videre potuerunt.

## CAPVT LV.

**D**VM tempore quodā tres latrones iuxta Coloniā rotali pœna plexi fuissent, ego altera die cum cæteris scholaribus accurrens, quæ ab vno illorum, qui adhuc viuebat, dicebantur auditū. Requisitus qua hora mortui fuisset socij sui, respondit: Hac nocte, quando mortuus est iste qui iuxta me sedet, totus campus coruis fuerat repletus: quos demones intelleximus in specie coruorum animam egressam expectantium. Et cum hæc miser ille vidisset, nec vna quidem vice nobis audientibus Deum inuocauit, nihil habens contritionis. Ex quo colligitur quod hi, qui malè viuunt, sepius malè finiūt, indigni misericordia, tam in præsentī quàm in futuro. Quā crudele peccatum sit sanguinem fundere, & dissensiones fouere, præsens est exemplum.

## CAPVT LVI.

**I**N episcopatu Coloniensi duę generationes rusticorum inimicitias mortales exercebant: Habebat autem duo capita, duos videlicet rusticos magnanimos ac superbos, qui semper noua bella suscitabāt, suscitata fouebant, nullam fieri pacem permittentes.

*Discordiam fouentes.*

Xx

Diuino



Diuino igitur nutu factum est, vt ambo vno die morerentur; & quia de vna erant paræcia, nomine Nueckenkirchen, quia sic Domino placuit, qui per illos diffensionis malum ostendere voluit, in vna fossa corpora eorum sunt posita. Mira res & inaudita, cunctis qui aderant videntibus, corpora eadem dorso verterunt ad inuicem, capitibus, calcibus, ipsisque dorsis tam impetuose collidentibus, vt caballos indomitos putares. Mox vnum extrahentes, remotius in alio sepulchro tumulauerunt, & facta est rixa eorundem mortuorum, causa pacis & concordie viuorum. APOLLON, Puto animas eorum magnam habuisse in inferno rixam. CÆSARIUS: De hoc quæstio nulla est. APOLLONIVS: Si Deus sic discordias, rixas, & iras punit in secularibus, puto quod eadem vitia plurimum abhorreat in personis claustralibus. CÆSARIUS: Hoc vno tibi ostendam exemplo.

## CAPVT LVII.

**N**on est diu, quod in quadam domo ordinis nostri, ædificium quoddam ad vsus monachorum factum est: quod quidam Conuersorum videns, & inuidens, diabolo cor eius inflammante, aliquos ad dejectionem eiusdem operis incitauit. Qui cum venissent cum instrumentis suis ante refectorium monachorum, auctor tantæ conspirationis corruit, & expirauit. Quo viso, cæteri valde timentes, cum multa festinatione & humilitate, venerunt ad pedes Abbatis, peccatum suum confitentes, à quo poenitentiam susceperunt; corpus verò conspiratoris in campo sepultum est. Postea ad petitionem Conuersorum, sicut nobis retulit Abbas noster qui audiuit, prædictus Abbas petiuit veniam in capitulo generali, vt liceret ei corpus projectum ponere in cœmiterio; sed non recordor, vtrum fuerit ei concessum vel negatum. Referam tibi nunc aliqua exempla de vitio luxuriæ, quæ luxuriosos satis queant terrere.

CAPVT



## CAPVT LVIII.

**A** Pud Traiectum inferius ante annos paucos, *De luxu  
riosis.*  
sicut mihi retulit eius cōcanonicus, clericus  
quidam defunctus est, qui sanctimoniam  
velatam corruerat. Vt autem Christus ostenderet,  
quā grauis sit culpa, ipsius sponsam violare, tale si-  
gnū in defuncti genitalibus posuit, quod cūctis quī  
videre vel audire poterant, esset terrori. Nolo autem  
illud exprimere, parcens verecundiæ feminarum, quæ  
fortè lecturæ sunt quæ conferimus.

## CAPVT LIX.

**I**N villa quadam diœcesis Colonienſis, quæ \* Lu-  
cheym dicitur, puella quædam, cuiusdam hone-  
stæ matronæ ancillā, ante aliquos annos defun-  
cta est; satis enim erat luxuriosa, satis vaga, & valde  
secularis. Noctē quadam in somnis ante Christi tri-  
bunal raptā est, in cuius circuitu vidit Angelos & A-  
postolos, martyres, & reliquorum ordinum sanctos  
infinitos. Animabus in medium deductis, illæ ad glo-  
riam, istæ ad supplicia iudicabātur; cūque hæc ancilla  
videret & tremere, accusante consciētia, manus sup-  
pliciter ad iudicem tetendit: cuius ille misertus, ait:  
Quid me oras? da mihi minimum digitum tuum, &  
ego dabo tibi manus meas, ac si diceret: Da mihi mo-  
dicam fidem, quod re de tuis vitijs emendes, & ego ti-  
bi dabo gratiam meam, sicque euigilauit. Quæ cū  
visum retulisset cuiusdā religiosæ matronæ, nomine A-  
leydi, quæ adhuc superest, de villa Gynzennich, respō-  
dit illa: Misera, emēda vitā tuam, satis commonita es.  
Illa primū quidē timuit, sed timor idem citius cessa-  
nit: cumq; vt prius vitijs pristinis subjacēret, admoni-  
tioni flagella adduntur. Nam cū post acerrimas infir-  
mitates expirasset, & nudata super aream, lecta tantū  
linreamine, posita fuisset, duo canes ante domum in  
curia se momorderunt; superuenit tertius & quartus,  
deinde omnes canes villæ, qui se inuicem mordendo,  
domum intrantes, linreamen superpositum abstra-  
hētes, dentibus suis comminuerunt: qui vix à rusticis  
fustibus expulsi sunt. Cadauere verò sepulto, canes fu-  
gati

\* al. Lū-  
zēheim.\* al. Gyn-  
zennich.



gati redeunt, super eius tumulum interrupta bella renouauerunt: timere enim quod anima modicum habuerit pacis, sicut interpretati sunt. Et quia huiusmodi mulieres saepe magicis insistant artibus, ut vehementius possint amari, contra idem vitium satis horrendum tibi proferam exemplum.

## CAPVT LX.

*alijs  
Heslo.*

**I**N\* Hallo villa dioecesis Traiectensis, femina quaedam misera, die quadam pedes suos pelui imponens, & extra illam retrorsum saltans, sic ait: Hic salto de potestate Dei in potestatem diaboli: quam diabolus mox rapiens, & in aera sustollens, multis qui aderant in villa, siue extra villam, videntibus, ultra altitudines nemorum transtulit, ita ut vsque in hodiernum diem nusquam compareret. Haec mihi de male viuentibus & male morientibus comperta sunt. De his vero qui bene videbantur vixisse; nec tamen bene consummati sunt, vnum tibi referam exemplum, quod nuper audiui.

## CAPVT LXI.

*De eo qui  
bene vi-  
xit, nec  
tamen be-  
ne consu-  
mauit.*

**H**Oc anno, cum Abbas noster iret ad capitulum generale, iuxta Vitriacum a quodam hospitalario, tam ipse, quam Abbas de Strymenu, charitatiue satis suscepti sunt. Comedentibus eis, idem hospitalarius (erat enim hospitalis magister) sedebat ad latus Henrici cellerarij nostri, qui post prandium dicebat iam dicto Abbati: Est vobis notus homo iste? Etiam, inquit, homo bonus est & religiosus. Respondit Henricus: Credite mihi, in malo statu est, iam in mensa visum habuit infernalem. Mane vero cellerario dicente missam, Abbas, nescio quo instinctu, sicut ipse nobis referebat, nihil aliud per totam missam orabat, nisi hoc: Domine da mihi bonum finem. Eadem nocte, praefatus hospitalarius ad vicinum flumen solus vadens, vestes exiit, & de ripa in aquas saltauit: & cum ibi mergi non posset, altius ascendit, locum profundiore quarens. Vigiles de castro videntes hoc, clamabant: Bone homo non est tempestiuum tali hora balneari: erat enim nox natiuitatis dominæ nostræ. Quid  
plura?



plura? Miserrimus de littore se præcipitans, limo profundi infixus est, atque submersus. Et territi sunt valde audientes hæc, scientes hominem plus quàm triginta annis pauperibus seruiuisse. Simile contigit cuidã Cõuerso in ordine nostro, qui pro sanctissimo viro ab omnibus habebatur. APOLLONIVS: Satisfactũ fateor interrogationi meæ; sed adhuc vnum est, quod nosse vellem. Quidam putant mortem esse personam; quibus concordat, quod mors in specie hominis cum falce in picturis repræsentatur. CÆSARIVS: Huic fabulæ consentiunt Iudæi, qui dicunt vnum esse angelũ, à quo interficitur omne genus humanum. Trahunt autẽ autoritatẽ ab eo loco, vbi per angelum percussa sunt omnia primogenita Ægypti. Quid autẽ sit mors, Exod. 12. satis dictum est in capitulo primo huius distinctionis: referam tibi tamen aliqua, occasione tuæ interrogationis, vnde satis mireris.

## CAPVT LXII.

Sicut veraciter audiui, matrona quædam nobilis in episcopatu Colonienfi ante annos paucos infirmata est: quæ cum in extremis agere videretur, multæque matronæ tam ex ordine nobilium, quàm ministerialium circumstarent, inuncta est. In vltima verò collecta, vocans ad se cognatam suam, cum tamen vix loqui posset, ait: Ne timeas, non moriar modò, vidi enim mortem recedere à me, & inuadere clericũ istum, digito eũ demonstrans. Mirũ in modum in ipsa hora femina desperata cœpit meliorari, & clericus infirmari, adẽ vt die octaua moreretur. APOLLONIVS: In qua forma vidit mortem? CÆSARIVS: Nescio; si formam requiris, audi quod sequitur.

## CAPVT LXIII.

IN Episcopatu Colonienfi, villa cui vocabulum est Stamheym, duo milites habitabant, ex quibus vnus Gútherus, alter Hugo vocabatur. Nocte quadam, cum iam dictus Gútherus esset in partibus trãsmarinis, ancilla pueros eius, antequam irẽt cubitum, ad requisita naturæ in curiã ducebat: quæ cum staret iuxta illos, ecce species quædam mulieris in veste ni-



nea & facie pallida cōtra ipsos vltra sepē respexit. Quē cū nihil loqueretur, & ancilla in aspectū eius horreret, monstrum idē, possessionem Hugonis, quā proxima erat, adiens, vltra sepem illius prædicto modo respexit; deinde ad cœmiterium, de quo venerat, rediēs. Post paucos verò dies infans Guntheri maior infirmatus ait: Septimo die moriar, post alios dies septem morietur Dirina soror mea, deinde post hebdomadam morietur soror mea minor, q̄ ita factum est. Post mortē verò infantū mater & ancilla, de qua supra dictum est, defunctæ sunt. Eodem tempore obiit Hugo miles & filius eius. Horum testis fidelis est Gerlacus Supprior noster.

## CAPVT LXIV.

**S**imile contigit in Ecclesia Bonnensi. Tempore quodam, dictis vesperis, cū scholares in ipso crepusculo ludos exercebant in Claustro, viderunt de vno sepulchrorum, in quibus canonici solent sepeliri, speciem quandam humanæ formæ egredi, quæ super aliqua sepulchra deambulans, in quoddam sepulchrū se dimisit. Post breue tempus mortuus est quidam canonicus, & in eodem tumulo, de quo fantasma illud egressū est, positus. Deinde, post paucos dies alter canonicus in eadē ecclesia moritur, & in loco vbi ingressū fuerat sepelitur. Christianus Bōnensis monachus noster eidē visioni interfuit. Huiusmodi visionibus quādoque futura præsignantur. **APOLLONIVS**: Secundūm hæc quæ dicta sunt, beati quos Dominus inuenit vigilantes. **CÆSARIVS**: Occasione huius verbi referam quod nuper audiui.

*Luc. 10.*

## CAPVT LXV.

**D**VM in Alna, domo ordinis nostri, diaconus legisset Euangelium de confessoribus, scilicet: *Vigilate, quia nescitis qua hora dominus vēturus sit, eisdem cōpletis, quidam monachus in choro cecidit, & expiravit. Et timuerunt omnes, verborum Domini effectum cōsiderantes. Vnde fratres, quia nescimus qua hora Dominus noster vēturus sit, vigilemus fide, vigilemus & opere, vt cū venerit, &*

*Vigilādū  
Mat. 24.*

per



per mortem pulsauerit, confestim & lati aperiemus ei. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster Iesus Christus, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

CAPITA LIBRI  
DVODECIMI.

<b>D</b> e pœnis & gloria mortuorum, cap.	primum.
De pœna Ludouici Lantgrauii, cap.	2.
De pœna cuiusdam principis Alemannia, cap.	3.
De Clerico, cuius corpus diabolus loco anima vegetabat, cap.	4.
De pœna VVilhelmi comitis Iuliacensis, cap.	5.
De pœna sacerdotis, cuius animam parochiani sui agitauerunt in puteum, cap.	6.
De pœna sculteti de Kolmer, qui missus est in Vulcanum, cap.	7.
De schulteto de Leggenich, qui in eundem montem missus est, cap.	8.
De Brunone de Flitert, qui in eundem Vulcanum projectus est, cap.	9.
De pœna Brunonis filij eius, cui in inferno propinatum est, cap.	10.
De Euerhardo milite, qui se erexit in feretro, cap.	11.
De Decano* Palernensi, quem Rex Arcturus inuitauit ad montem Gyber, cap.	12. * Panor. mitano.
De pœna Bertolfi ducis Zeringia, qui missus est in Vulcanum, cap.	13.
De pœna Frederici militis de Kelle, cap.	14.
De Henrico Nodo, qui post mortem multis visibiliter apparuit, cap.	15.
De torneamento occisorum iuxta Montenacke, cap.	16.
De VValtero de Milene, cap.	17.
De milite mortuo, qui nocte serpentes & bufones, loco piscium,	X x 4